Yndice

ſ.



LOQUATUR ANCILLA TUA (SERAPHICA RELIGIO) AD DOMINVM MEVM REGEM (CAROLUM II. HISPANIARVM SEMPER AVGVSTVM) VERBVM. 2. Reg. cap. 14.

VINDICIAS VERITATIS:

IN QVIBVS VNICA, ET SVPREMA IN VNIVERSA Religione Sancti Patris Franciſci Auctoritas Miniſtri Generalis totius Ordinis, *ſecundum libertatem*, aſſeritur.

CONTRA LIBELLVM PORRECTVM

CATHOLICO NOSTRO REGI

CAROLO SECUNDO

PER FR. JVLIANVM CHVMILLAS,

COMMISSARIVM GENERALEM INDIARVM,

IN QVO

CONTRA SERAPHICAM RELIGIONEM

VINDICIÆ FALSITATIS *ad ſervitutem*

PROPONVNTVR.

AVDI, ORO, DOMINE MI REX VERBA SERVI TVI. 1. Reg. cap. 26.

INTENTIO SCRIBENTIS.

IN ius coram Catholico Monarcha vocata Religione Seraphica, proponuntur à R.P. Chumillas Allegante *vindiciæ secundùm servitutem*, Actoris vices gerente *falsitate*: Pro illa, more maiorum, (1) *vindicias* assero *secundùm libertatem*, Patroni partes suscipiente *veritate*. Servili conditione affectam vult ille, & proindè respectu Commissarij Generalis Indiarum instituendi, aliud peculium iuris non permittit, quàm quòd sibi addicatur à Rege Patrono. (2) Ingenuam, nativaque libertate gaudentem, eam asserendi, mihi tùm debitum, tùm animus est. Hinc per me allegata *vindicias veritatis dico secundùm libertatem*; nec dubito, iuxta hanc, pro Religione à iustissimo Rege esse pronunciandum. Originarias tenebras offundit *falsitas*, inoccultabilem lucem diffundit *veritas*, nec à *lucis filio* sperandus, nisi *fructus lucis*, nempe *in iustitia, & veritate*. (3) Non fallendi, sed refellendi voto hanc Provinciam suscepi, obedientia penè spontanea; nec pugnaturus, sed propugnaturus in arenam descendo; non pellere aliquem intendo ab antiquo iure, sed propellere contendo inauditam iniuriam; & si morsu salis, alicuius se doleat *Allegans* lancinatum, sciat, salem adhiberi ad præservationem, medicasque punctúras, non tendere ad perniciem, sed ad salutem. Exulat ab animo livor, æstuat charitas, quæ pijs flammis, quando expedit, exustulat. Si me calamo molestum ille incusabit, immeritò causabit. Recordetur quod scripsit Augustinus: *Molestus est Medicus furenti phrenetico, & Pater indisciplinatò filio, ille ligando, iste cædendo, sed ambo diligendo.* (4)

(1) Cæl. Rodigin. Antiq. lect. lib. 17. cap. 29. Alex. ab Alexan. Genial. die. lib. 6. cap. 10. Turneb. adverf. lib. 15. cap. 23. Franc. Hotom. observ. lib. 1. cap. 32. Io. Calvin. Lexic. v. Vindiciarum nomine.

(2) L. Peculium, ff. de pecul. seru.

(3) Ephes. cap. 5. v. 9. *Vt filij lucis ambulate. Fructus enim lucis est in omni bonitate, & iustitia, & veritate.*

(4) Diu. Augusl. ep. 50. Ad Bonif. relat. in cap. ipsa pietas, §. Molestus 23. q. 4.

ANTELOQVIVM.

SVMMARIVM.

1. *Ambitio humanarum passionum Reipublicæ perniciosissima.*

Cæ-

Cœlestem pacem perturbavit.

Per hanc Angelica, & humana natura conflagravit.

2. *Religio Seraphica Paradisus est terrestris; imò etiam Cœlestis.*

Antitheses Paradisi cum Religione.

3. *Mala, quæ ex prætensionibus Allegantis imminent Religioni.*

1 Perniciosissima politico regimini humanorum pathematum ambitio est. Superbiæ primogenita refugit ordinem, dum cæteris anteire (iure, an iniuria, non curat) quaquaversum contendit. Diabolicum hoc vitium est, quo Diabolum factum scimus, qui in dotibus naturæ creaturarum excellentissima fuit. Ordinem noluit tenere, quem statuit sapientia Creatoris; cui subesse debens, studuit æquari in similitudine, qui nequivit in potestate. Subiectionem aversatus, elevari contendit, (5) & Creatori perduellis, ipsi Monarchiam Vniversi invidens, vnitatem voluit scindere Principatus. Hinc pacis iura violata in Cœlis; hinc divisa Angelorum studia; hinc confusa quietis fœdera; & Hierusalem Cœlestis ex visione pacis mutata est in Babylonem, dum factum est prælium magnum in Cœlo. (6) Inde pulsus ille, mortiferum superbiæ virus instillavit homini; qui eo tumens, per ligni vetiti esum Dei omniscientiam (7) affectavit; nec contentus, sibi per Creatorem elargito terrarum imperio, similitudinis illius ambivit æqualitatem. Quo facto immutata contra hominem rerum facies, & de animantium Rege, factus agricola, spinis, & tribulis contra se armatam in Creatoris vltionem, expertus est terram. Superbiæ ambientis luctuosum hoc fuit opus, quo dimidia Angelorum, & integra hominum natura conflagravit; & ex quo vnus Deo, à quo formatus est, voluit fieri æqualis; turbatus pro omnibus est, in totius naturæ perniciem, pulcherrimus Divinæ dispositionis ordo, quo stante, ditissima dotibus sibi concessis, perennique felicitate, tùm Angelica, tùm humana natura floruisset.

2 Non aliter, nec aliud mihi meditanti factum, pro quo scribo, occurrit, quàm recensita Paradisi seù terreni, seù cœlestis Catastrophe. Religio quippe Seraphica

(5) *In Cœlum conscendam super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti. Similis ero Altissimo.* Esai. cap. 14. v. 14.

(6) Apocalypt. cap. 12. v. 7.

(7) *Eritis sicut Dij scientes bonum, & malum,* Gen. cap. 3. v. 5.

hica hortus verè deliciarum, & Dei Paradisus (8) est, i quem veniens *dilectus Dei filius mortificantis pœnitentiæ yrrham metit cum aromatibus*. Imo Paradisus verè Cœlestis, dum *Cœlestis vitæ forma, & Regula*, vt definit Christi Vicarius, (9) in illa traditur observanda. Sed Paradisum hunc violata quiete, pulsaque pace, superba funestat ambitio, eò nocentior, quò laruata, sub titulo zeli, sub dola insultat. Commissarius Generalis Indiarum vastissimarum Provinciarum imperium dispoticum sibi vindicare aggreditur, & Ministri Generalis æqualitatem æmulatus, vult ipse in novo, sicut Generalis in antiquo Orbe, *privativè* quoad cæteros, in Religione principari. Exactè apposita hæc Luciferianæ perduellionis est idea, nec multus in ipsa expendenda labor erit. Vnus in Cœlo, & in terra Princeps est Deus. (10) Vnus pariter Princeps in Religione est Minister Generalis. (11) Ille ex infinitate, & divinæ necessitate naturæ; hic ex supereminenti officij dignitate per Regulam importata. Primum ille Angelum, sicut & cæteros, primumque hominem sua manu plasmavit. (12) Hic Commissarium Indiarum, vt infra videbimus, sua authoritate creavit. Lucifer inter omnes Angelos; Homo præ cæteris animalibus primus, & excellentissimus fuit; omnium officialium Ordinis, qui per Generalem Ministrum fiunt, censetur Commissarius Generalis Indiarum esse dignissimus. (13) Dei æqualitatem, Dei omniscientiam emulatus est Lucifer; concupivit homo. Generalis Primatum aggreditur in suo regimine invadere Commissarius; & omnes æquè perduellionis tesseram contra proprium producunt Creatorem.

3 Quid porrò à monstruosa taliter ambitione Religionis Paradiso metuendum? Exitiales sanè discordias, divisa partium studia, turbulentas contentiones, scandala, iurgia, rixas esse pacem funestatura, non est ambigendum. Ne igitur in extremam Religionis perniciem vlterius iam cœptum serpat incendium, comprimendum in sui initio, suffocandumque est. Porrò, quam falsis Commissarij Indiarum prætensio nitatur fundamentis, ostendemus, vt de sua causa, præsidio iustitiæ distituta, diffisus, cœptis desistat, &

(8) Clement. Exiul. in princip. de verb. signific. *Hic hortus est Fratrum Minorum Sancta Religio, quæ muris Regularis Observantiæ firmiter vndique circunfusa, intra se, solo Deo contenta, adornatur abundè novellis plantationibus filiorum.*

(9) Clementin. loc. cit. *Hæc est illa cœlestis vitæ forma, & regula, quam descripsit ille confessor Christi eximius Sanctus Franciscus.*

(10) Eccles. cap. 1. v. 8.

(11) Roderic. to. 1. q. 68. art. 3. Sanctor. commentar. cap. 1. stat. 4. §. 1. v. Itaque ex Roderico.

(12) Cap. firmiter de summ. Trinit. & Fid. Catholic.

(13) *Gravissimum est, & tota reverentia consideratum tum in Religione nostra, tum in Curia Catholica huiusmodi Commissariatus officium.* Gubernat. Orb. Seraph. tom. 1. lib. 3. cap. 17. n. 9. fol. 289. col. 2.

Ministri Generalis primatui, vt par est, humiliter obsecundet.

ARTICVLVS PRIMVS.

In quo demonstratur vnus Minister Generalis in toto Ordine Minorum, & obedientia sibi ab omnibus debita.

SVMMARIVM.

§. I.

4. *Minister Generalis totius Ordinis Minorum est vnus.*
5. *Seraphici Patris Francisci idea in fundanda Religione.*
Apostolorum vitam, & Regulam professi sunt Fratres Minores.
6. *Politiam Ecclesiæ Vniversalis instituit Seraphicus Pater in Ordine.*
Regimen Monarchicum omnium perfectissimum.
Ecclesia militans Triumphanti correspondet.
Ordo Hierarchicus reducit infima per media in supremum.
7. *Papa refert similitudinem vnius Dei.*
Prælati Ecclesiarum sunt vocati in partem solicitudinis.
Ad solum Papam de iure spectat deputatio aliorum Prælatorum.
Iurisdictio ordinaria, quæ dicatur.
Gubernati ab alijs Prælatis non eximuntur à subiectione Papæ.
Papa nullum potest à sua obedientia eximere.
8. *Sacramenta recipienda sunt à proprio Pastore.*
Omnia Sacramenta validè, & licitè recipiuntur à Papa.
Papa potest pro vtilitate Ecclesiæ transferre Episcopos.
9. *Generalis in Ordine est Monarcha.*
Illi est obediendum ex vi voti essentialis.
Cæteris Prælatis obediendum est ex vi præcepti Regulæ.
Prælati ex causâ possunt dispensare in præceptis Regulæ.
Generalis potest dispensare subditum ab obedientia Prælati inferioris.
Rodericus, & Miranda impugnantur.
Doctores sentientes aliter, loquuntur de Generalibus aliorum Ordinum.

Cæ-

Cæteri Regulares ex vi Regulæ non obligantur ad obedientiam Generalis.

10. *Prælatus superior ex causa potest inferiorem iurisdictione privare.*

Et eam ex causa publici boni limitare.

11. *Privilegium Magistri Generalis Prædicatorum eximendi Conventus, & subditos ab obedientia Provincialium.*

Minores specialiter communicant in privilegijs cum Prædicatoribus.

Omnes Ordines Mendicantes communicant inter se privilegia.

12. *Nullus inferior Papa potest dispensare in votis essentialibus.*

Minister Generalis post Papam, est immediatum obiectum obedientiæ Fratris Minoris.

S. Pater Franciscus Primus Patriarcharum Regularium vovit obedientiam Pontifici Romano.

13. *Generalis Ministri officium ex vi Regulæ est perpetuum.*

Multa incommoda nascuntur ex duratione temporali Prælatorum.

Ministri Provinciales olim erant instituti à Generali.

Clemens V. horum electionem variavit.

Benedictus XII. destituendi Provinciales officio ex causa, facultatem Generali reddidit.

14. *Generalis Minister olim creabat Guardianos.*

Innocentius IV. fecit multas Ecclesias Ordinis Conventuales.

Ecclesia Conventualis habet ius sibi eligendi Prælatum.

15. *Duratio perpetua Provincialium abolita fuit per Leonem X.*

Electio omnium Guardianorum commissa Capitulo, seù Congregationi Provinciali.

Capitula Provincialia pendent ab auctoritate Ministri Generalis.

Hic potest electionem Provincialium infirmare, seù confirmare.

Generalis non abdicat à se ius, quod Provincialibus committit.

Provinciales carcerant exteros Apostatas, ex auctoritate Generalis.

Provinciales, licèt Ordinarij *sint, &* cum plenitudine potestatis, *habita à Generali, sunt tamen eius subditi.*

16. *Exercitium iurisdictionis Generalis perseverat adhuc in electione Guardianorum.*

Congregatio Capitularis sine licentia Generalis est nulla.

17. *Generalis præsens præsidet in Congregatione Capitulari.*

Si vult interesse Congregationi, debet expectari.

Potest in ea præsidere per Delegatum ex causa.

Forma non servata, corruit actus.

18. *Recapitulatio, & conclusio dictorum.*

19. *Rationes, ob quas voluit Seraphicus Pater vnum caput totius Ordinis.*

Quare intitulavit Ordinem nomine Fraternitatis.

Reformatores Ordinis nunquam se subtraxerunt ab obedientia Ministri Generalis, & quare?

4 Primo igitur videndum est de plena, indispensabili, & non partibili auctoritate, ac iurisdictione Ministri Generalis respectu omnium, & singulorum de Ordine Fratrum Minorum. Statuo ergo conclusionem, quòd in Religione Minorum de Observantia Minister Generalis vnus est, qui totius Ordinis Minorum pollet titulo, & dignitate, vnicus in Regimine Religionis, S. Patris Francisci Successor, cui omnes Fratres ex vi voti indispensabiliter obedire tenentur in omnibus, quæ non sunt contra Regulam, & animam.

5 Probatur quoad singulas partes conclusio; & primò quantum spectat adesse vnicum Ministri Generalis. Seraphicus enim Patriarcha Franciscus, sicut in tradendis præceptis suæ Regulæ, Euangelium solùm voluit pro norma, (14) ita in fundatione suæ Religionis illam solam habuit ideam, quam in stabilienda Ecclesia sua habuit Filius Dei factus homo. Ita vt aliud non sit Minorum Religio, quam Ecclesiæ Catholicæ, per JesumChristum fundatæ, expressum transumptum, imò Summus Pontifex (15) de Cathedra Petri pronuncians statuit, eumdem authorem, eamdem

(14) Regul. Fr. Minor. cap. 1. *Regula, & vita Fratrum Minorum hæc est, Sanctum D. N. I. C. Euangelium observare.*

(15) Cap. Exijt de verb. signif. lib. 6 *Hæc est apud Deum Patrem munda, & immaculata Religio, quæ descendens à Patre luminum per filium eius exemplaritèr, & verbalitèr Apostolis tradita, & deindè Beato Francisco, & eum sequentibus inspirata, totius in se quasi continet testimonium Trinitatis.*

dem vitam, eaſdemque leges Religionem Minorum, cum Eccleſia Catholica eſſe ſortitam.

6 Hinc eſt, quod regiminis politiam pro ſua Religione Seraphicus Patriarcha ſtatuit eam, quam pro Vniverſalis Eccleſiæ gubernatione Jeſus Chriſtus ſtabilivit, hæc autem regimen Monarchicum eſt, non tantum, quia inter politicarum gubernationum ſpecies perfectiſsima eſt, vt communiter ſentiunt Philoſophi, Theologi, & Patres, (16) ſed etiam quia Eccleſia militans Triumphanti aſsimilatur. (17) In qua vnus Deus eſt omnium Rector, & Gubernator, per quem omnia, in quo omnia (18) condita, & formata gubernantur. Hoc autem expoſcit naturalis ordo Hierarchicus, vt infima per media in ſupremum, qui vnus eſt, reducantur, (19) cum ipſe ſit principium, & finis omnium, ad quem omnia, quæ ab ipſo orta ſunt, reducantur.

7 Non aliter contemplamur regimen Eccleſiæ Militantis, in qua Vicarius Chriſti locum Dei tenens Divinæ Monarchiæ in Cœleſtibus expreſſam imaginem refert. Ipſi enim ſoli commiſſa eſt gubernatio ovium Chriſti, & in ipſo ſolo repetitur plenitudo poteſtatis. Et quamvis Epiſcopos, Archiepiſcopos, Primates, & Patriarchas inſtituerit, ij tamen *ſunt vocati in partem ſolicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis*; (20) ipſi enim privativè quoad cæteros ſpectat Vniverſalem Eccleſiam paſcere Dei verbo, Sacramentis nutrire, coercere pœnis, præceptis dirigere, & per electionem, (21) & deputationem Miniſtrorum inferiorum illam gubernare. Hinc eſt, quod, licèt diverſi Chriſtianæ Reipublicæ ſpirituales Gubernatores ſortiti ſint iuriſdictionem ordinariam, illam nempè, per *quam quiſque ſuo iure, vel beneficio Principis, iuriſdictionem vniverſaliter exercere poteſt*; (22) tamen per hoc non cenſentur exempti à iuriſdictione, & regimine Papæ illi, qui à talibus Ordinarijs reguntur; itaut Epiſcopus E.G. ordinariam iuriſdictionem exercens in ſua Diœceſi illam ſolus gubernet *privativè* quoad omnes, & etiam quoad Papam, quia *privativè* quidem quoad cæteros Epiſcopos ſuos Diœceſanos gubernat, ſed quoad Papam cu-

(16) Homer. lib. 6. Iliad. Herod. lib. 3. Hiſt. Plat. in Politic. vltra med. Ariſt. lib. 8 Ethic. cap. 10. Senec. li. 2. de Benef. Plutarch. in vit. Solon. D. Thom. p. 1. q. 103. art. 3. & lib. 4. contr. Gentil. cap. 76. Phil. lib. de confuſ. ling. Juſtin Martyr. orat. exhortat. ad Gent. Athanaſ. orat adverſ Idol. Cyprian. lib. de vanit. Idolor. Hier. ep. a Ruſtic. Monach. Iſocr. orat. quæ inſcribitur Nicocleſ. Jo. Stobæ ſer. 45. Chryſ. hom. 34 in epiſt. 1. ad Cor. cap. 13. apud Bellar. de Rom. Pont. lib. 1. cap. 2. per tot.

(17) Barb. de offic. & pot. Ep. p. 1. tit. 1. cap. 6. n. 1.

(18) Epheſ cap. 4. v. 2. Pius II. Bull. Retract. col. penult. Barbat. in Clem. ne Romani n. 59. & ſeqq. de elect. Oldrad. conſ. 94. n. 7. v. Adhuc inſtatur. Anchar. conſ. 339. n. 3. apud Tuſc. lit. C. conc. 552. n. 3.

(19) Extravag. Vnam ſanctam. §. In hac de maior. & obed. inter comm. D. Dionyſ. de Eccleſ. Hierarch. cap. 2. Scot. in 4. diſt. 19. q. vnic. §. Hæc ſecunda quæſtio, v. 3. clavis litter. C. D. n. 6.

(20) *Eccleſia Romana vices ſuas alijs ita impertivit Eccleſijs, vt in partem ſint vocatæ ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis*, cap. Decreto 2. q. 6. cap. Qui ſe ſcit ea cau. & quæſt.

(21) *Omnes ſive Patriarchij cuiuslibet apices, ſive Metropolion primatus, aut Epiſcopatuum Cathedras, vel Eccleſiarum, cuiuslibet Ordinis dignitates inſtituit Romana Eccleſia*, cap. Omnes 22. diſt. cap. Nolite 2. diſt. cap. Quis neſciat ea diſt. Paſſer. de elect. Can. cap. 1. n. 17. &

(22) L. more maiorum, ff. de iuriſdiction. omn. Judic. Hoſtien. Rubr. de offic. Ord. §. 1.

cumulativè, ſiquidem à iuriſdictione Papæ nullus Chriſtianus poteſt eximi, neque Papa ipſe poteſt aliquem à ſua iuriſdictione ſeparare, cum ipſi in perſona Petri ſit omnium ovium ſuarum cura demandata à Christo, dicente: *Paſce oves meas*, (23) & quia Papa tenet viceș Dei, ſicut nulla creatura, licèt commiſſa regimini alterius creaturæ, eximitur à ſuprema gubernatione Dei; ita quamvis Papa creaverit ſuperiores Eccleſiarum Ordinarios, non tamen vllo modo abdicavit à ſe regimen illarum; itaut illi poſsint cenſeri ſuperiores, *privativè* quoad Papam, ſed *cumulativè* tantùm, vt dicebam.

8 Hinc eſt, quod quamvis per Canones (24) ordinatum ſit, quòd fideles à proprijs reſpectivè Ordinarijs, puta Epiſcopis, & Parochis, Sacramenta recipiant, tamen ſi à Papa vel ordines, vel pœnitentiam, aut Euchariſtiam accipiant, aut coram eo celebrent matrimonium, tùm licitè, tùm validè faciunt; (25) & hoc non ex alio fundamento, niſi quia Papa eſt verus, & Ordinarius illorum Paſtor, à quo nullo modo ſunt ſubtracti, quantumvis alios Prælatos ordinarios ille ad regimen Eccleſiæ deſtinaverit. Et quamvis aliquem in Epiſcopum alicui Eccleſiæ perfecerit, poteſt Papa, etiam ſine cauſa procedente à tali Epiſcopo, ad aliam Eccleſiam transferre ipſum, nempè pro maiori vtilitate Eccleſiæ, ad quam transfertur, (26) ſive ex alio iuſto motivo. Et hoc non ex alio principio, niſi quia illi ſoli commiſſa eſt omnium fidelium cura, & licet alijs ordinariam poteſtatem ſit largitus, tamen ſemper, eſt cum dependentia à iuriſdictione illius, qui, prout ſibi melius viſum fuerit, ad Eccleſiæ ſibi commiſſæ vtilitatem poteſtatem datam mutare, reſtringere, & etiam adimere poteſt.

9 Non aliter Seraphicus Patriarcha Franciſcus Religionem Minorum ad normam Eccleſiæ Catholicæ inſtituit; & ſicut in iſta Monarchicum regimen à Chriſto Domino ſtabilitum eſt, ita & in illa tanquam Monarcha conſtitutus eſt Generalis, cui ex vi voti eſſentialis omnes Fratres tenentur obedire. (27) Advertendum autem, quod licèt in Regula (28) exprima-

(23) Jul. I. ep. 2. cap. 36. Cõc. Rom. 2. ſub Symmac. Steph. 6. ep. 1. Nicol. I. ep. 9. in decret. de Rom. Eccleſ. cap. 4. Pius II. ep. 2. & in Bull. Retract cap. fin. iunct. gloſ. in v. Adſtringit de Conſtit. vbi Felin. Extravag. Vnam ſanctam de maior. & obed. inter comm. Innoc. in cap. 2. de translat. Epiſ. Bald. in c. 2. Qui feud. dar. poſſ. Abb. in c. 1. n. 2. de Conſt. qui citat Innoc. in c. Quod ſuper his de vot. & vot. redempt. & idem Abb. in cap. fin. n. 1. de Conſtit.

(24) Cap. Omnis de pœnit. Trident. ſeſſ. 24. de reform. cap. 1.

(25) Gloſ. in cap. ſi Epiſcopus, §. Item tertio præſupponendum de pœnit. & remiſſ. in 6. Panormit. in cap. Omnis n. 12. extra eo tit.

(26) Panormit. in cap. fin. n. 13. de confir. vtil vel inutil. Innoc. in cap. Niſi de renunciat. gloſ. in cap. per principalem 9. q. 3. Ludou. Rom. ſingul. 79. Card. in Clement. 1. vt lite pendente, & in Clement. 1. §. In ceſſationib. de ſent. excomm. Anton. Franc. Add. ad Abb. in cap. Sua nobis n. 13. de confir. vtil. vel inutil. qui dicit eſſe communem ſententiam Salyceti, Baldi, & Pauli de Caſtro.

(27) Regul. Minor. cap. 1. *Et omnes Fratres teneantur Fratri Franciſco, & eius ſucceſſoribus obedire*, cap. 8. *Vniuerſi Fratres vnum de Fratribus iſtius Religionis teneantur ſemper habere Generalem Miniſtrum, & ſervum totius Fraternitatis, & ei teneantur firmiter obedire.*

(28) Regul. Minor. cap. 10. *Firmiter præcipio eis* (Fratribus) *vt obediant ſuis Miniſtris in omnibus, quæ promiſerunt Domino obſervare.*

matur etiam obedientia debita Ministris Provincialibus, tamen longè diversa est obedientia debita Generali, ab ea, quæ debetur Provincialibus. Quia ad illam obligamur ex vi voti essentialis Regulæ, ad istam autem solum ex præcepto ipsius Regulæ. Et quia Prælati possunt dispensare ex causa rationabili super ijs, quæ sunt purè præcepta Regulæ, (29) ideo etiam Generalis potest dispensare subditum ab obedientia Provincialis, & Guardiani, vt contra Rodericum, & Mirandam probat Sanctorus: (30) Et revera rationes illorum non probant intentum, siquidem capitulum illud, (31) quod ex Sylvestro ponunt pro fundamento suæ resolutionis, nullo modo loquitur de tali conclusione, in eo enim Gregorius reprehendit quemdam Archiepiscopum, qui processerat contra Episcopum, factum exemptum à prædecessore Gregorij. Quid autem concludit hoc factum circa quæstionem, num scilicet Generalis posit eximere subditum ab obedientia Provincialis? & quamvis alij Doctores (32) videantur sentire cum Roderico, & Miranda; Tamen non est recedendum à sententia Sanctori, quæ verissima est, vt infra magis probabitur; Doctores autem contrariæ opinionis loquuntur de Generalibus diversarum Religionum à nostra, in qua ex vi voti, & Regulæ Religiosi tenentur obedire Ministro Generali strictiori vinculo, quàm cuivis alteri Prælato; vt docet idem Miranda; (33) & ego addo etiam, quàm obligentur cæteri Religiosi erga suos Generales; multi enim ex vi Regulæ (vt sunt Monachi omnes) non obligantur, nisi ad obedientiam Abbatum, (34) seu superiorum localiũ, respectu autem Generalium non obligantur, nisi per Constitutiones, quod longè diversum est, cùm ad mortale non obligent. Minores verò ex vi Regulæ, & voti Ministro Generali tenentur obedire; hinc est, quod potestas aliorum Generalium non agnoscatur tanta à prædictis Doctoribus, quanta revera est in Ministro Generali Minorum.

10 Accedit, quod, vt argumento quorumdam iurium (35) deducunt Doctores, Prælatus superior, causa rationabili interveniente, potest inferiorem totali

(29) Cap. Cum ad Monasterium; §. In refect. de stat. Monach. Peyrin. de subd. q. 1. cap. 8. §. 5. v. Dico X. qui allegat glos in cap Monachum 20 q. 4 & cap Carnes de consecr. dist. 5. Caiet. Sot Rodrig. Valent. Saur. Tambur apud Lezan cons. 6. n. 4 Ant. à Spiritu Sanct Direct. Regul tract. 2. disp. 1. sect. 2. §. 4. num. 120.

(30) Sanctor. Comment. Stat. cap. 12 stat. 12. q. 4 v. Respondet Miranda fol. mihi 685 Roder. tom. 1. q. 23. art. 3. Mirand. to. 2. q. 7. art. 6

(31) Cap. Frater noster 16. q. 1. Sylv. Summ. v. Causa cas. 5.

(32) Peyrin. formular. litt. E. cap. 31. n. 3. & de priuil ad Constit. 5. Jul. II. §. 3. n. 6. & apud eum Bartol. à S. Faust. Thesaur. Relig. lib. 6. q. 146. & Fernand par. 4. Examin. c. 15. §. 2. n. 1. dict. 5. Anton. à Spiritu Sancto Direct. Regul. tract. 4. disput. 1. sect. 4. n. 79. & ibi Lezan. tom. 1. cap. 18. n. 25.

(33) Mirand. tom. 2. q. 10. art. 1.

(34) Cap. Nullum 18. q. 2. vbi Nauarr.

(35) L. 2. ff. de his, qui sunt sui, vel alie. iur. Instit. eo. tit. §. Sed hoc tempore Tusc. lit. E. concl. 554. n. 7. Ludou. Roman. cons. 37. in princip. Mandos. de inhibit. q. 4. n. 2. & q. 100. n. 2. tom. 5. apud Peyrin. formul. litt. E. cap. 35. n. 3.

tali

tali iurisdictione privare; ergo poterit ex causa pariter rationabili, & etiam, non interveniente culpa Prælati inferioris, ipsi iurisdictionem limitare; porrò limitatio ita potest esse circa exercitium iurisdictionis, sicuti circa personas subditorum; sequitur proindè, quod respectu alicuius subditi limitet Generalis potestatem Provincialis, & ita ille eximatur à iurisdictione istius. Verum est quod debet intervenire causa iusta; sed hæc non est semper ex culpa Provincialis; sed potest esse alia, puta meritum personæ exemptæ; vtilitas Religionis, &c.

11 Et quod circa hunc punctum securim ad radicem difficultatis ponit, est Constitutio Julij Secundi (36) facta in favorem Magistri Generalis Ordinis Prædicatorum, quæ sic cantat §.3. *Et pro augmento vitæ Regularis volumus, & declaramus, quod Magister Generalis pro tempore possit in favorem Regularis vitæ eximere non solum Conventus Fratrum à cura, & iurisdictione Priorum Provincialium, sed etiam Monasteria sororum sub cura, & habitu eiusdem Ordinis, & Collegia, & personas quascumque Tertij habitus, quamvis secundum Constitutiones dicti Ordinis tàm Fratrum, quàm sororum, & Statuta, ac provilegia Apostolica, fundationesque Monasteriorum, nonnullorum specialiter cautum sit, vt Provincialibus subsint. Statuimus nihilominus, & decernimus omnes appellationes ab exemptionibus huiusmodi interponendas, nullius esse roboris.* Ex qua Constitutione (quæ facit etiam pro Ministro nostro Generali ratione specialis communicationis privilegiorum, (37) quæ est inter Prædicatores, & Minores, vltra Generalem omnium Ordinum Mendicantium) (38) habetur intentum. Si enim integer Conventus per Generalem potest eximi à iurisdictione Provincialis, à fortiori etiam particularis persona religiosa eximi poterit, attento maximè, quod in citata Constitutione exprimuntur etiam personæ; & quamvis videatur loqui de personis Tertij Ordinis, tamen de omnibus personis Religiosis intelligendum est, quia in omnibus, & singulis militat eadem ratio.

12 Ex hoc ergo habemus, quod obedientia debita alijs superioribus, est debita tantum ratione præcepti

(36) Jul. II. Const. Exponi nobis. Datum Romæ apud S. Petrum die 14. Novemb. 1511. Pont. eius anno 8. quam dat per extens. Peyrin. to. 1. privil. Constit. 15. Jul. II.

(37) Jul. II. Const. Alias ad supplicationem. Datum Romæ apud S. Petrum 1. Junij 1509. Pontif. eius anno 8. quæ habetur per extens. apud Donat. rer. regul. tom. 1. p. 1. tract. 7. q. 2. & ibi Passarell. priuil. Ord. Minim. fol. 99. & Roderic. tom. 1. q. 55. art. 2.

(38) Casarub. compend. priuil. v. Communicatio. Sorb. eo. tit. & v. Passarellus eo. tit. cap. 4. Roder. to. 1. q. 50. art. 1. Hieron. Roder. resol. 116. Mirand. to. 2 q. 41. per tot. Jo. Crux de stat. Relig. lib. 2. cap. 4. Peregrin. compend. v. Introductio, §. 2 Lezan. tom. 1. cap. 3. n. 17. Confect. Coll. Priu. Mendic. Peyrin. de priuil. in Constit. Pauli III. Tamburin. de iur. Abb. disp. 17. q. 1. Meroll. to. 3. de priuil. disput. 6. cap. 4. apud Donat. to. 1. p. 1. tract. 7. q. 3.

cepti Regulæ, in quo per Ministrum Generalem possunt Fratres absolvi per exemptionem à iurisdictione Provincialis, & à fortiori superioris localis; illa verò, quæ Ministro Generali est debita, procedit ex vi voti essentialis Regulæ, super quo nullus, qui est inferior Papa, dispensare potest. (39) Hinc apparet inevitabilis necessitas, quæ inest cuivis professo Regulam Minorum obediendi Generali Ministro. Cum enim essentiale Regulæ sit, non potest, nec ab ipso Ministro, neque à Capitulo Generali tolli, aut limitari; Generalis Minister enim est obiectum immediatum post Papam voti essentialis obedientiæ, (40) quia post obedientiam, quam Seraphicus Patriarcha Franciscus promisit Romano Pontifici, (cui, vt observat D. Bonaventura, primus omnium Patriarcharum Regularium nomine proprio, & cæterorum sui Ordinis voto obediẽtiæ se obstrinxit) (41) immediatè decernitur obedientia Generali Ministro, qui succedit in locum Seraphici Patriarchæ.

13 Hinc est quod ita stabilita politia in sua Religione à Sancto Fundatore, ita vt ab vno Generali Ministro dependeret, hunc voluit esse perpetuum, si, cæteris paribus, censeretur à Capitulo Generali idoneus, cum dicat Regula. (42) *Quo decedente electio successoris fiat à Ministris Provincialibus, & Custodibus.* Et optimo sanè consilio hoc voluit Seraphicus Institutor, hoc enim pacto obviaretur infinitis pene malis, quæ nascuntur ex temporali duratione Generalis, & ea ex Sacris Canonibus recenset Navarrus relatus per Mirandam. (43) Et non tantum perpetuitatem, sed integrum, vnicum, & totale ius regendi Religionem impertivit. Initio enim Religionis, vsque ad tempora Clementis V. prout ex Chronicis, & Decretali memorati Pontificis (44) colligitur, Ministri Provinciales instituebantur à Ministro Generali ad eius beneplacitum considerata necessitate Provinciarum, & idoneitate eligendorum. Et quamvis prædictus Clemens iurisdictionem, quæ vsque ad illa tempora duraverat in Ministro Generali circa illorum creationem, transtulerit in Capitulum Provinciale; tamen Benedictus

 XII.

(39) Cap. Cum ad Monasterium extrà de Stat. Monach. *Quod super essentialibus Religionis nullam habet Abbas dispensandi auctoritatem.* Concil. Trid. sess. 25. de Regul. cap. 1. *Cum compertum sit ab eis* (Prælatis) *non posse ea, quæ ad substantiam Regularis vitæ pertinent, relaxari.*

(40) Regul. Minor. cap. 1. *Frater Franciscus promittit obedientiam, & reverentiam Domino Papæ Honorio, & successoribus eius canonicè intrantibus, & Ecclesiæ Romanæ: & alij Fratres teneantur Fratri Francisco, & eius Successoribus obedire.*

(41) D. Bonavent. exposit. in Reg. Minor. cap. 1. Cordub. eo. tit. cap. 1. q. 4. circ. med.

(42) Regul. Minor. cap. 8. Miranda tom. 2. q. 6. art. 5.

(43) Cap. Visis 76. q. 2, cap. Quam sit. de elect. lib. 6. cap. Quorundam eo. tit. & lib. cap. Quam pio 1. q. 2. cap. fin. de pact. Navarr. in cap. Nullam 18. q. 2. n. 3. Mirand. tom. 2. q. 6. art. 6. per tot.

(44) Clement. Exivi, art. 9. de verb. signif.

XII. ad conservandam in Ministro Generali radicalem iurisdictionem in eorumdem creatione statuit, (45) vt Provinciales destituerentur à Generali Ministro (si destitui mererentur, cum alioquin eorum officium esset perpetuum) in Capitulis Provincialibus cum consensu ipsius Capituli; & pariter renunciatio eorumdem Provincialium se volentium abdicare ab officio, in manu Generalis Ministri facienda, ibidem decreta fuit, & non ex alio principio, nisi vt agnoscerent Provinciales, eorum iurisdictionem, quamvis ordinariam, emanare tamen ab ea, quæ est Ministri Generalis in toto Ordine.

(45) Constit. Benedict. XII. ann. 1333. cap. 18. Orb. Seraphic. tom. 3. fol. 38. col. 2.

14 Pariter ab eodem Generali olim ad arbitrium suum creabantur Guardiani, aliique superiores locales; quod patet ex Testamento Seraphici Patris, (46) & perduravit huiusmodi vsus suæ plenariæ iurisdictionis vsque ad tempus Innocentij IV. à quo (cum cerneret esse difficilè ob amplificationem Ordinis Generali providere de congruis Guardianis ad exigentiam locorum) indultum fuit, vt domus, in quibus duodecim Religiosi habitabant, essent Conventuales, (47) & proindè possent iuxta dispositionem iuris communis (48) sibi eligere Guardianos, quod etiam confirmavit Benedictus XII. (49) relicta alioquin pro cæteris domibus Religiosis electione superioris localis, prout fiebat antea.

(46) Testam. S. P. Francisci. *Et firmiter volo obedire Generali Ministro & illi Guardiano, quem sibi placuerit mihi dare.*

(47) Innoc. IV. Constit. Cum tanquam 12. Kalend. Septemb. 1252. Annal. Minor. tom. 2. Alva in Indic.

(48) Cap. fin. 16. q. vlt. cap. 1. de elect. cap. Cum dilectus de consuet. cap. Nobis, §. de Iur. Patr. Navarr. in cap. Nullam, n. 2. de elect. Roderic to. 2. q. 53. art 1.

(49) Const. Benedict. XII. cap. 20. Orb. Seraph. to. 3. fol. 39. col. 1. in fine.

15 Et quamvis expost duratio perpetua Provincialium fuerit per Leonem X. (50) abolita, & eorum electio antea commissa Capitulo Provinciali à Clemente V. (51) (sicut & electiones Guardianorum) demandata Diffinitorio Provinciali in Capitulo, sive in Congregatione Capitulari; (52) tamen, vt scirent Provinciales, & Diffinitores eorum iurisdictionem, licet ordinariam, oriri tamen à iurisdictione Ministri Generalis, & sibi pleno iure subesse, nullum Capitulum Provinciale celebrari potest, nisi de licentia expressa Ministri Generalis, qui præsidere debet in eo, vel per se, vel per Commissarium suum, & ad eumdem Ministrum spectat privativè quoad cæteros, audito consilio gravium Patrum, electionem Provincialium con-

(50) Leo X. Const. Ite & vos 4. Kalend. Jun. ann. 1517. §. Denique, *ne ex Ministrorum.*

(51) Clement. Exivi, de Paradiso, §. *Demum quia*, de verb. signif.

(52) Stat. Salmant. cap. 9. tit. de Commiss. partic. miss. v. *Guardiani*, Cong. General Neap. ann. 1590 cap. 5. Stat Vallisol. 1593. tit. de Guard. Stat. Gener. Tolet. 1658. cap. 8 §. 43. Stat. Meclin. ann. 1449 Burdigalen. ann. 1510. Barcinon & Segovien. cap. 7. de elect. tit. de Guard n. 1. Sanctor. Comment. cap. Stat. 45. in princ. fol. mihi 504.

confirmare, vel infirmare, *prout ei secundum Deum visum fuerit expedire*, vt dicitur in Clementina, (53) & quotidiana praxis Religionis confirmat. Pariter declarant Statuta Salmantina iurisdictionem Provincialium regulari à dispositione Generalis, qui ex pleno iure, quod habet in toto Ordine, committendo aliquid Provincialibus, etiam tanquam ordinariæ suæ potestatis, non tamen abdicat à se ius illud, quod ipsis committit; imò vult recognosci tanquam radicatum in sua iurisdictione. Et ideo exprimitur in illis Statutis, (54) quod Provinciales Ministri habeant quidem ordinariam iurisdictionem capiendi, & puniendi apostatas aliarum Provinciarum, tamen talis ordinaria iurisdictio non potest exerceri, nisi *authoritate Ministri Generalis*; ex quo deducitur, quod omnis iurisdictio ordinaria, quæ per statuta est concessa Provincialibus, est dependens à iurisdictione, & authoritate Ministri Generalis; & ne sibi persuaderent Provinciales se esse exemptos in eorum regimine à iurisdictione Ministri Generalis, ex eo quod ordinarij sunt, sivè ex eo, quòd ex speciali indulto Generalis facti essent ipsius Commissarij in propria Provincia, *etiam cum plenitudine potestatis*, cautum est in citatis Statutis, (55) vt nihilominus sint subiecti Commissarijs missis à Ministro Generali, quod si subiecti sunt Delegatis, à fortiori subijciuntur illi. Hinc deducitur, quod *plenitudo potestatis*, quæ à Ministro Generali indulgetur superioribus etiā *Ordinarijs*, nullo modo reddit eos absolutos, & independentes in proprijs respectivè officijs *privativè* quoad eumdem Generalem. Et hoc benè notandum est, quia inferius de hoc erit sermo.

16 Pariter in electione Guardianorum, quæ fit in Congregationibus Capitularibus, quæ vocantur intermediæ, durat adhuc exercitium iurisdictionis Ministri Generalis. Etenim ex dispositione Statutorum (56) inconsulto Ministro Generali in sua Familia celebrari non possunt huiusmodi Congregationes; & quantumvis statuta præcitata videantur sonare, quod Provinciales debeant tantum *admonere*. (57) Ministrum Generalem de tali Congregatione celebranda, ta-

(53) Clement. Exivi, de Parad. §. Demum quia in fine, de verbot. significat.

(54) Stat. Salmant. ann. 1553. cap. 8. tit. de Ministr. Provincial. Orb. Seraph. tom. 3. fol. 330. col. 1. *Quilibet etiam Minister Provincialis habeat ordinariam iurisdictionem authoritate Ministri Generalis excommunicandi, ligandi, capiendi, incarcerandi, ac pœna alia puniendi omnes aliarum Provinciarum Apostatas ad suam divertentes Provinciam.*

(55) Stat. Salmant. cap. 8. tit. de Ministr. Provinc. Orb. Seraph. to. 3. fol. 329. col. 1. *Nullus Minister per commissionem datam sibi à Generali Ministro in propria Provincia etiam cum potestatis plenitudine, per hoc fiat exemptus à Commissarijs prædicto Generali missis, sed per omnia eis subijciantur, perindè ac si nulla eidem Ministro facta esset commissio.*

(56) Stat. Gen. Vallisolet. cap. 8. tit. de Capitul. Congreg. Orb. Seraph. tom. 3. fol. 508. col. 1 Stat. General. Tolet. cap. 8. §. 46. n. 8.

(57) *Verumtamen de ea re* (Congregatione Capitulari) *Provinciales Ministri Generalem anteà opportunè admoneant; vt si quid ei pro bono Provinciarum regimine, ac reformatione ordinandum, & statuendum fuerit, ordinare, & statuere possit.* Stat. General. Tolet. ann. 1658. cap. 8. 46. n. 3.

tamen revera talis *admonitio* est petitio debitæ licentiæ; siquidem, si Generalis ex iusto motivo iudicat non expedire talem Congregationem celebrari, Provincialis eam celebrare non potest, & si eam celebrat, attentat; nullæ enim sunt ipso iure electiones in ea factæ; quia cum Congregatio hæc habeat vim Provincialis Capituli, in qua fiunt omnia, quæ in Capitulo (excepta electione officialium Provincialium) & Capitulum sine expressa licentia Generalis, qui in eo præsidet per se, aut per Delegatum, celebrari nequeat; sequitur, quod sine tali licentia, nec Congregatio celebrari possit, vt bene docet Sanctorus, (58) & continua praxis Religionis hoc confirmat; Generales enim pro arbitrio concedunt, vel negant licentiam tales Congregationes faciendi; nec vnquam auditum fuit, quod vllus Provincialis, licentia non obtenta, hoc attentaverit, cum evidens appareat nullitas electionum absque tali licentia. Etenim, vt egregiè citato loco ait Sanctorus, (59) Generalis *est caput omnium Provinciarum*, & omne, quod in ipsis fit, ab ipso radicaliter fieri debet; sicut enim motus manus, & pedis, si non fit per influxum capitis, non est motus rectus à ratione, nec actus humanus; ita & electiones factæ, in quibus caput Religionis non habeat influxum, sivè mediatum, sivè immediatum, sivè actu, sivè virtute, non erunt rationabiles, aut legitimæ, & proindè nullæ.

(58) Sanctor. Commentar. cap. 8. Stat. 53. init. fol. mihi 515.

(59) *Vt Generalis, qui est caput omnium Provinciarum dirigere, & influere possit in membra, quæ disciplinæ regulari expedire iudicaverit*, Sanctor. loc. supracit.

17 Amplius: si Congregationi intermediæ Generalis est præsens, absque vlla controversia ipse in ea præsidet, & eligendos proponit, vt quotidiè fit; si absens est, & in ea intervenire vult personaliter, absque eo non potest celebrari electio, in qua iuxtà Decretalem Conciliarem (60) debent esse præsentes, *qui debent, & volunt, & possunt commodè interesse*, aliter electio nulla est; omnibus enim Ordinis electionibus, vt notum est, iure proprio intervenit Generalis principaliter, si vult; vndè in casu, quo interesse velit, expectari debet, ex dilatione enim nullo modo læditur ius aliorum electorum; & asignatio termini electionis à placito ipsius pendet; vndè sequitur quod, si non expectaretur, nulla esset electio facta. Potest etiam præsidere

(60) Cap. Quia propter extra de elect.

ſidere per Delegatum ex cauſa *notoria*, & *vrgente*, vt ſonant Conſtitutiones Ordinis; (61) nec poteſt Provincialis ſcire, an apud Generalem talis cauſa ſubſit; poteſt enim eſſe cauſa notoria in ſe, & etiam Generali, & cæteris Provincijs, & tamen ignota Diſfinitorio Provinciæ, vt puta malum regimen Prælatorum, & vita relaxata ſubditorum, quæ ipſis peccantibus, cæcis in ſuo vitio, ignota ſunt. Si ergo celebraretur Congregatio, non perſpecta voluntate Generalis potentis illi præeſſe per ſe, vel alium, evaderet nulla; ex eo, quod non eſſet ſervata forma, quæ præſcribitur à lege. (62) Concluditur ergo ex dictis, quod *admonitio*, quæ præſcribitur in Statutis facienda à Provincialibus Generali Miniſtro de celebranda Congregatione intermedia, eſt vera *licentia* petenda, vt declarat quotidiana conſuetudo, & abſque tali licentia nulla evaderet electio quævis in ea facta, prout declaratum fuit pro Indis in Capitulo Romano anno 1612. (63)

18 Ex his ergo evidenter apparet intentum noſtræ concluſionis. Ex eo enim quod vnicum, & plenum, & indiſpenſabile ius Prælaturæ reſidet in noſtra Religione apud Miniſtrum Generalem; licet creandorum aliorum ſuperiorum Provincialium ſint variæ formæ à Summis Pontificibus, & Conſtitutionibus Ordinis præſcriptæ; tamen ſartum, tectumque ſemper fuit primævum ex regula ius Generalis, qui ideo in omnes electiones influit, vt caput in membra, vt ex omnibus fiat vnum corpus Religionis rectum ab vno; ac proinde ſicut in Eccleſia triumphante vnus eſt Deus Princeps, & Rector; In militante vnus Papa Gubernator; Ita in Religione Minoritica fundata ad expreſſam imaginem illarum, prout ſupra demonſtravimus, vnus Princeps, moderator, Gubernator, & Rector eſt Generalis, cui ſoli, ex vi voti eſſentialis obedientiæ, omnes ſubduntur ſivè ſubditi, ſivè Prælati.

19 Hæc autem vnitas ideo fuit à Seraphico Inſtitutore intenta, vt eius Religio referret ad vivum regimen Eccleſiæ tùm triumphantis, tùm militantis; (64) & ideo in Ordine ſuo volens vnitatem charitatis in membris, ſtatuit vnitatem directionis in capite.

(61) Cap. General. Roman. 1639. Stat. General. Tolet. 1658. cap. 8. §. 46. n. 6.

(62) L. Cum hi, §. Si Prætor, ff. de tranſact. l. Hæredes palàm, §. In Teſtamentis, ff. de Teſtam. l Furioſum, C. Qui teſt. fac. poſſ. l. Scio, l. Diuus ff. De In integr. reſtit. Gloſſ. in cap. Si cui, v. Præter, de elect. in 6. Abb. in cap. Cauſam n. 7. de re iudic. J. B. Coſta de iur. & fact. ign. inſpect. 71. n. 9. Gratian. diſcept. par. 5. cap 853. n. 28. Felin. Boer. Farinac. Azor, Suarez, Caſtropal. Vazq. Ricc. Trullench, Boſſ. Butr. Jaſon, Riminald. Surd. Rube. cumulati per Paſſerin. de elect. canon. cap. 9. q. 3. n. 35. & 40.

(63) Stat. Capit. Gen. Rom. 1612. tit. pro Ind. Prouinc. Orb. Seraph. tom. 3. fol. 608. col. 1. v. Miniſtri.

(64) Mirand. tom. 2. q. 6. art. 4. concl. 1. & q. 7. art. 1. in it.

te. (65) Hinc, vt optimè obſervat Marchant. (66) S. P. Franciſcus Religionem ſuam voluit inſigniri nomine *Fraternitatis* (67) ratione charitatis, quæ debebat eſſe inter eius filios, ex hoc quod omnes ab vno Miniſtro Generali tanquam Patre communi regun- tur, & gubernantur. Et hanc vnitatem ita indiſpenſabilem in Religione Minorum cognoverunt zelatores omnes puræ obſervantiæ Regularis, quod omnes, qui voluerunt Religionem in parte relaxatam reformare, & ſecundùm antiquam ſeveritatem à Sancto Patriarcha inſtitutam vivere, ſegregarunt quidem ſe à cæteris, qui laxiorem vitam ducebant; non tamen ab obedientia Miniſtri Generalis vllo vnquam tempore ſe ſubduxerunt, vt patet in Reformatione Cæſarenorum, Clarenorum, Amadæiſtarum, Coletanorum, &c. de quibus ex Chronicis, & Conſtitutionibus Pontificijs, & Capitulorum Generalium, obſervat, & abundè probat Marchant. (68) tales Reformatores voluiſſe quidem ſibi ex ſuis eligere ſuperiores Provinciales, & locales ſeparatos; tamen ſemper ſub vnitate Miniſtri Generalis permanſiſſe, cum cognoſcerent nullo modo poſſe Regulam cum puritate, vt intendebant, obſervare, niſi ſub vnitate capitis præſcripti in Regula militarent, & minimè eſſe legitimos per rectam lineam inſtitutionis ſuæ filios Seraphici Patriarchæ; qui legitimum, & vnicum ipſius ſucceſſorem Miniſtrum Generalem non agnoſcerent, cùm nulla tunc eſſet, aliter diſponens, Apoſtolica Conſtitutio.

(65) *Voluit Sanctus vnitatis amator, vt familia ſua ſibi poneret caput vnum, & totius ovilis ſui fieret Paſtor vnus.* Hugo de Dina expoſit. in Reg. Min. apud Petr. Marchant. eo. tit. cap. 8. Text. 1. q. vnic. concl. 1.

(66) Petr. Marchant. expoſit. in Regul. cap. 8. Text. 1. tit. 1. q. 2. v. Adverte 3.

(67) Regul. Minor. cap. 8. *Vniverſi Fratres vnum de Fratribus iſtius Religionis teneantur ſemper habere Generalem Miniſtrum, & ſervum totius Fraternitatis*, & cap. 10. *Qui ſit Gubernator, Protector, & Corrector iſtius Fraternitatis.*

(68) Petr. Marchant. expoſ. Regul. cap. 8. Text. 1. tit. 2. q. 3. per tot.

§. II.

SVMMARIVM.

20. *Obedientia debita Miniſtro Generali eſt indiſpenſabilis.*

Papa non poteſt diſpenſare in eſſentialibus Regulæ, manente diſpenſato in vita Regulari.

Omnis Prælatura Eccleſiaſtica habet originem à Sede Apoſtolica.

Papa poteſt eximere Minorem ab obedientia Generalis.

21. *Ca-*

21. *Capitulum Generale non potest aliquem eximere ab obedientia Generalis.*

Ab obedientia aliorum Prælatorum quando, & quomodò dispenset.

20 Ex firmata hucvsque conclusione multa corollaria ad nostrum intentum deducuntur. Primum est, quod subiectio Ministro Generali ita est indispensabilis, vt nullo modo possit aliquis de iure ordinario esse, & dici Frater Minor iuxta Regulam, qui per omnia non vivat subiectus prædicto Ministro Generali. Hoc porrò manifestum fit ex eo, quòd, vt supradiximus, ex vi voti essentialis Regulæ tenemur Ministro Generali obedire, cum ipse post Papam sit primum obiectum obedientiæ; obedientia verò cæteris Prælatis importata per Regulam sit ex vi præcepti Regulæ, super quo cadere potest dispensatio, vt probavimus supra. Patet autem in Decretali quadam, (69) quòd nemo, neque Papa ipse, potest dispensare super essentialibus votis Regulæ, manente dispensato in statu Regulari, prout benè explicat Vincentius, & Joannes Monachus. (70) Potest enim vota omnia, etiam solemnia ratione maioris boni dispensare, vt docet Abbas, (71) quæ dispensatio est potius dicenda commutatio, sed taliter dispensatus non manet amplius in statu Religioso, quia nulla res stare potest destructa essentia ipsius; porrò Religiosa vita consistit in tribus votis essentialibus, & altero istorum dempto, aut in aliud mutato, non amplius durat status Religiosus. Obedientia ergò, cùm sit eminens, & essentiale præceptum vitæ Regularis, proindeque obtineat primum locum inter cætera vota Religiosæ professionis, (72) non poterit, non violato statu Religioso, dispensari; & cum obedientia Fratrum Minorum post Romanum Pontificem respiciat superiorem Generalem, prout supra probatum est, sequitur quòd Frater Minor nullâ ratione poterit eximi ab obedientia Generalis. Non nego tamen Papam posse eximere Religiosum Minoritam ab obedientia Generalis, etiam non variato statu suæ professionis, & sibi soli subdere; sed hoc ideò est, quia ex vi Regulæ obedientia primò respicit manda-

(69) Cap. Cum ad Monasterium, §. Nec æstimat iunct. glos. in v. Abdicatio de Stat. Monach. Innocent. in citat. cap. in fin. Zechar. Add. ad Abb. in citat. cap. n. 21. qui citat Felin. in cap. Si quandò col. 5. v. Prætereà dicit de rescript.

(70) Vinc. & Jo. cit. à Gloss. in cap. §. in v. Abdicatio de Stat. Monach.

(71) Abb. Panormit. in cap. Cum ad Monaster. n. 22. & 23. de Stat. Monach. & in cap. Ne Dei Ecclesia n. 2. in fine de Simon.

(72) Greg. Magn. lib. 35. moral. relat. in cap. Sciendum 8 q. 1. D. Th. 2. 2. q. 104. art. 3. S. Bonavent. de prof. Relig. lib. 2. cap. 28. & indè, & in Reg. Nouit. cap. 13. & in 8. Collat. cap. 3. & in Specul. discipl. cap. 4. Sanctor. Comment. Stat. 1. cap. 1. §. 1. fol. mihi 2.

datum Papæ, qui tali casu ex plenitudine potestatis ad se avocaret ius ipsius Generalis. Cum enim omnis Prælatura Ecclesiastica originem, & radicem habeat à potestate Papali, (73) potest benè, ex iusto motivo Papa iurisdictionem Generali concessam ad se avocare; sed statuere, quòd aliquis iure ordinario non teneatur ad obedientiam Generalis, & tamen ille sit, & maneat in statu Fratris Minoris de Observantia, hoc non potest Papa; repugnat enim talis dispensatio cum statu supradicto, vt solidissimè probat Marchant. (74)

Sequitur ex hoc, quòd neque Capitulum Generale potest condere Constitutiones, per quas ordinario iure aliquis eximatur ab obedientia Generalis; non enim potest dispensare in essentialibus Regulæ, licèt dispenset in obedientia debita Provincialibus, & localibus Prælatis, vt videre est in Discretis perpetuis Ordinis; ex dispositione enim Constitutionum isti in præsentia Generalis ipsi soli obedire tenentur; habent enim vnicum superiorem tantum supra se; (75) vnde in præsentia Provincialis etiam superiori locali non subduntur, cum illum præcedant. Sequitur etiam, quod non potest instituere aliquod officium, sivè Prælaturam, per quam Prælatus sic institutus, ac eius subditi subtrahantur ab obedientia Generalis; non potest enim scindere vnitatem Ordinis; esset autem talis Prælatus cum suis subditis dismembratus à Religione, cum esset separatus à capite illo, quod iuxta Regulam debet esse vnum, vt probavimus. Et in tali casu si respectu suorum subditorum esset caput *privativè* quoad Generalem; sequeretur quod in Religione Minorum essent duo capita, & Religio evaderet monstrum biceps, vel quod talis Prælatus cum suis emancipatus à patria potestate Generalis non participaret de vniversitate Fraternitatis Minoriticæ, quæ in tantum est vna, in quantum sub vno Patre, nempè Ministro Generali reperitur. Quæ omnia cum sint absurda, sequitur intentum, puta: quod Capitulum Generale nequit legem supradictam condere.

§. III.

(73) Passerin. de elect. Canon. cap. 1. n. 14. & seqq.

(74) Petr. Marchant. exposit. Regul. cap. 8. Text. 1. tit. 2. q. 6. concl. 1. & 2. & q. 7. per tot.

(75) Stat. General. Tolet. 1658. cap. 8. §. 53. n. 12

§. III.

SVMMARIVM.

22. *Obedientia debita Generali extenditur ad omnes, etiam Prælatos inferiores.*

Commissarius Generalis Familiæ est ordinarius.

Tamen est subditus Ministri Generalis.

Dictio omnino,*&* per omnia *quid importet.*

Commissarius Generalis Familiæ debet obedire Generali, vt cæteri Ordinis Prælati.

22 Ex dictis sequitur aliud corollarium: quod iurisdictio Generalis est ita vniversalis, quod ad omnes Fratres, sivè Prælati sint, sivè subditi indifferenter extenditur. Est enim expressus Textus Regulæ: (76) *& alij Fratres teneantur Fratri Francisco, & eius Successoribus obedire.* Et ita nullus eximitur ab obedientia Generalis, quavis Prælatura intra Ordinem fruatur; quia per nullam quantumuis eminentem cessat in ipso obligatio, quæ habetur ex Regula. Hoc patet etiam ex Constitutione Leonis X. (77) in qua clarissimis verbis exprimitur *Vnitas* Ministri Generalis in *toto Ordine*, eiusdem *plenaria potestas*; & tandem *obedientia*, quæ sibi debetur ab *omnibus, & singulis*, qui sunt in eodem Ordine. Et magis confirmatur conclusio ex hoc, quod Commissarius Generalis Familiæ electus secundum citatam Bullam vnionis talis est, quod sibi in sua Familia *commissæ sunt vices Ministri Generalis*; est etiam *Prælatus ordinarius*, vt contra Collectorem probat Rodericus, à quo transcripsit Miranda, & tenet Sanctorus, (78) & determinatur in Statutis Vallisoletanis, (79) & eius *iurisdictio*, vt loco citato scripsit Rodericus, est *plenissima*; tamen etiam ipse subiectus remanet obedientiæ Ministri Generalis, & est illi subiectus, sicut *cæteri omnes Prælati Ordinis*, vt expresis verbis cantat citata Constitutio Leonina. (80) Et ne fieret interpretatio, quod obedientia Ministro Generali præstanda esset à Generali Commissario, vt privata persona, seu vt vnus ex Fratribus Ordinis, sed ab eo tanquam Prælato, etiam in dependentibus à propria iurisdictione, ait Pontifex, quod *Ministro Generali omninò subijciatur,*

(76) Regul. Minor. cap. 1.

(77) *Volumus vnum Ministrum Generalem totius Ordinis de cætero omnibus, & singulis Fratribus eiusdem Ordinis cum plenaria potestate, quæ ex Regula sibi competit, præfici. Cui omnes, & singuli prædicti Fratres in omnibus, quæ non sunt contra Deum, animam suam, & Regulam firmiter teneantur obedire.* Leo X. Constit. Ite & vos, §. *Quia in primis.* Datum Romæ 4. Kalen. Junij 1517.

(78) Roderic. to. 1. q. 51. art. 2. Mirand. to. 2. q. 11. art. 3. concl. vnic. Sanctor. comment. cap. 8. Stat. 36. q. 2. fol. mihi 470.

(79) Stat. Cap. Gen. Vallisol. anni 1565. §. Commissarius, Orb. Seraph. tom. 3. fol. 353. col. 1.

(80) *Ita tamen quod Commissarius præfato Ministro Generali omninò subijciatur, vt cæteri dicti Ordinis Prælati subijciuntur, ac illi per omnia secundum Regulam obedire teneatur.* Leo X. cit. Constit. Ite & vos, §. *Quo verò.*

 tur,

tur, vt cæteri Ordinis Prælatu subijciuntur, ac illi per omnia obedire teneatur. Vbi notatu dignæ sunt tres particulæ, puta: *omninò*: *per omnia*: & *vt cæteri Ordinis Prælati*. Dictiò enim *omninò*, & *per omnia*, vt ex varijs iuribus colligunt Doctores, (81) accipitur pro *semper*, & *omni modo*, & *re*, & *verbo*, & in *omni casu*, & sine *distinctione*. Vnde cum Commissarius subijciatur Ministro Generali *omninò*, & ei obedire teneatur *per omnia*, intelligendum est, quod subijci illi, & obedire debet *sine distinctione*; puta: aut tanquam persona particularis, aut vt Prælatus ordinarius, sivè officialis publicus: & in *omni casu* tùm ordinario, tùm extraordinario; & *re*, & *verbo*: puta: non exhibendo verbalem obedientiam, & *realem* ab eo exemptionem prætendendo; (vt facit in casu Commissarius Indiarum) & *omni modo*, nempe: aut iudiciali, aut extraiudiciali; & *semper*: puta: sivè præsens in illius Familia, sivè sit absens, & in altera Familia Minister Generalis. Alia particula observanda est: quod obedire, & subijci tenetur non vt cæteri Fratres, sed vt *cæteri Ordinis Prælati*; & innuit quod talis subiectio, & obedientia est ab eo præstanda tanquam Prælatus ordinarius, ex quo cæteris Prælatis comparatur, vt sciat se quamvis plenissima iurisdictione præditum, tamen eam sibi communicatam à iurisdictione Generalis, à quo debet, vt *cæteri Prælati* dependere.

(81) L. 1. C. Quomo. & quando Jud. Auth. de exhi. & intro. re. §. Si verò, cap. & si Christus de iure iur. l. vbi autē, §. Hæc stipulatio, ff. de verb. oblig. l. Si cum except. §. Quatenus, ff. quod met. cau. l. Laici, §. Si cui, ff. si seru. vend. cap. Licet Canon. de elect. in 6 Bart. in l. Græci, §. Illud, ff. de fideiuss. Archid. in c. 1. §. penult. de Relig. Dom. in 6. Felin. in cap. ex parte Vlp. de offic. deleg. Alberic. diction. V. Omninò Tusc. litt. D. concl. 322. n. 5. & final.

§. IV.

SVMMARIVM.

23. *Potestas ordinaria Prælatorum non est privativè, sed cumulativè cum Generali.*
Deus creaturis proprium motum facere sinit.
Archiepiscopi quæ possint cumulativè cum Episcopis.
24. *Archiepiscopus in sua Provincia est Princeps.*
Minister Generalis est Princeps in Religione.
Imo est Primas.
Capitulum Generale limitat facultatem Generalis.
Arguere ab Archiepiscopis ad Generalem vniversaliter non tenet.

25. Ob-

25. *Observatio circa originem Prælatiarum in Ordine.*

S. Pater Franciscus instituendo alios Prælatos non abdicavit à se iurisdictionem in Fratres.

Minister Generalis habet locum, & potestatem S. Patris Francisci.

Commissarius Generalis Familiæ est Coadiutor Ministri Generalis.

Minister Generalis limitat potestatem Commissario Generali Familiæ.

Potest in Fratres omnes, quæ Commissarius prædictus potest in sua Familia.

23 Aliud porrò corollarium deducitur ex præcitata conclusione, & est: quod quantumvis in Ordine fuerint instituti diversi Prælati, aut Generales, aut Provinciales, aut Locales, qui authoritatem ordinariam habent in suos subditos: & authoritas hæc sit sibi per leges Ordinis impartita; tamen hæc nunquam est ita propria alicui, vt sibi insit *privativè* quoad Generalem Ministrum, sed *cumulativè* cum illo. Hoc autem videtur manifestum ex vniversali politia tùm laica, tùm Ecclesiastica. Licet enim Rectores maiores regulariter debeant relinquere minoribus administrationes, quæ sibi proprio iure competunt iuxta leges, (82) vt facit Deus cum creaturis; tamen non est, quin ex motivo rationabili maiores pòssint ea, quæ possunt minores; & si lex, aut generalis, aut particularis non obstat, possunt illi in casu particulari authoritatem minorum impedire, aut limitare. Hoc videmus specialiter in Archiepiscopis, qui cumulativè cum Episcopis multa possunt, quæ sunt de iure Episcopali regulariter, & privativè quoad alios. Hinc, licet per Sacros Canones de officio, & iurisdictione Episcopi sit pravas in Populo consuetudines evellere: (83) notoria crimina Clericorum viriliter punire: (84) Populum solemniter benedicere: (85) à casibus reservatis absolvere: (86) matrimonia subditorum celebrare, & alia multa; tamen etiam Archiepiscopus, qui inter Episcopos est Princeps, (87) in Diœcesibus, & subditis suffraganeorum proprio iure tollit pravas consuetudines: (88) punit notoria crimina Clericorum: (89) Populum

(82) *Deus sic res, quas condidit, administrat, vt proprios motus agere sinat.* Divus Augustin. de Ciuit. Dei, lib. 12. cap. 5.

(83) Cap. Malam 8. dist. cap. Consuetudinem 2. dist. cap. Cum tanto de consuet. cap. 1. de his, quæ fiunt à maior. par. cap.

(84) Cap. Conquerente de offi. ordin. cap. Solicitæ de maio. & obed. cap. Facta 19. q. 3.

(85) Cap. Convenit 5. dist. Concil. Agathen. cap. 30. Concil. Barchinonen. cap. 2.

(86) Cap. Si Episcopus de pœnit. Trident. sess. 14. de refor. cap. 7. & can. 11. Concil. Treuirens cap. 12.

(87) Cap. Cleros v. Archiepiscopus 21. dist.

(88) Cap. Ad extirpandas, cap. fin. de fil. Presbyt. cap. Ex frequentibus de Instit. Abb. in cap. Pastoralis in princip. de offic. ordin. vbi Felin. n. 7. Quarant. v. Archiep. authorit. n. 23. Barbos. de offic. & potest. Epis. p. 1. tit. 4. n. 31.

(89) Cap. 1. §. Notoriæ de cens. in 6. Abb. in cap. Ex frequentibus n. 10. de Instit. Sylv. v. Archiepis. n. 3. in fin. M. A. Genuen. prax. Archiep. cap. 70. n. 11.

lum ſolemniter benedicit: (90) viſitando abſolvit à cenſuris, & caſibus, quæ ſibi reſervavit Epiſcopus: (91) & matrimonia celebrat. (92) Et ratio eſt, quia qui ſubditi immediati ſunt Epiſcopo, ſunt etiam mediatè Archiepiſcopo; vnde in eos omnia poteſt, quæ poteſt Epiſcopus, niſi iure ſpeciali prohibeatur; & quia ſpeciales Conſtitutiones habent, quod in quibuſdam tantùm caſibus in iure expreſsis, poſsit Archiepiſcopus in ſubditos ſuffraganeorum, (93) ideo non poteſt regulariter, & vniverſaliter omnia, quæ Epiſcopus in ſuos; quæ tamen poſſe deberet ex hac ratione: nempe quod, ſi Epiſcopi ſunt ſubditi Archiepiſcopo, vt ſonant Canones, (94) iiſdem ſubditi, etiam eſſent ſubditi Archiepiſcoporum; & proindè pleno iure tanquam in ſuos ſubditos iuriſdictionem exercere poſſent.

24 Porrò ſicut Archiepiſcopus in Provincia ſua eſt Princeps Epiſcoporum, ita Princeps in Religione Minorum eſt Miniſter Generalis, (95) qui eſt non ſolum vt Archiepiſcopus, ſed tanquam Primas (96) reſpectu aliorum Prælatorum in Ordine; nullam autem habet legem, quæ ſibi liget manus, quin poſsit in omnes ſubditos ſibi mediatos ea, quæ poteſt in immediatos. Vbi enim reperietur lex noſtra ſtatutaria, quæ liget manus Generali, itavt non poſsit in omnes Fratres ea, quæ in ipſos poſſunt Provinciales, aut alij ſuperiores? Reperiuntur quidem leges, per quas Capitulum Generale limitat facultatem Generali, ne poſsit diſpenſare in aliquibus Conſtitutionibus, (97) non reperietur tamen vlla, quæ ſtatuat, quod Miniſter Generalis nequeat facere hoc, vel illud, quod tamen facere poſsit alius Prælatus eo inferior. Nec valet arguere à iure communi, comparando Fratres ſubditos cæteris Prælatis Ordinis, laicis, vel Clericis, qui ſunt ſubiecti Epiſcopis: Provinciales Miniſtros Epiſcopis: & Miniſtrum Generalem Archiepiſcopo: & inferre, quod, ſicut nequit Archiepiſcopus in ſubditos ſuffraganeorum omnia, quæ poſſunt ſuffraganei, ſed tantum ea, quæ ſunt in iure expreſſa, ita nequeat Generalis in Fratres, qui ſunt ſubditi immediatè cæteris Prælatis ea,

quæ

(90) Clement. Archiep. de priuil.

(91) Pauin. de Viſit. par. 2. q. 4. Henriq. lib. 2. cap. 3. §. 5. Suar. to. 4. diſput. 15. ſect. 1. n. 14. Reginald. lib. 1. n. 23. Molfeſ. ſumm. tract. 7. cap. 14. n. 75.

(92) Coninch. diſput. 27. Sanch. de matrim. lib. 3. diſp. 27. n. 6. Baſil. Pont. eo. tit. lib. 5. cap. 10. n. 6. Henriq. Suarez, Gutierrez apud Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſ. part. 2. alleg. 32. n. 125.

(93) Cap. Romana. cap. Venerabilibus de ſent. excomm. in 6. cap. 1. de ſuppl. negl. Prælat. eo. lib. Jacobat. de Concil. lib. 2. act. 5. n. 34. Lotter. de re benef. lib. 1. q. 22. n. 37.

(94) Cap. fin. 51. diſt. cap. 1. 80. diſt. cap. 1. 99. diſt. cap. Ad reprimendum, cap. Duo ſimul, cap. Paſtoralis de offic. Ord. cap. Solicitudinem de appell.

(95) Roderic. to. 1. q. 68. art. 3. Sanctor. Comment. cap. Stat. 4. §. 1. v. Itaque, fol. mihi 16.

(96) Mirand. to. 2. q. 7. art. 1. antè 1. Concil.

(97) Sanctor. Comment. cap. 12. Stat. 12. q. 4. v. Reſpondeo tertio, & indè, fol. mihi 683. & ſeqq.

quæ ex suo officio possunt isti, sed tantum ea, quæ per statuta Ordinis conceduntur Generali. Quia quantum ad hoc non currit paritas inter Archiepiscopum cum cæteris, & Generalem Ministrum cum alijs comparatis. Siquidem neque suffraganei creantur, confirmantur, aut infirmantur (in eorum electione) ab Archiepiscopo, aut illis tribuit potestatem suas vices committendo ; neque subditi suffraganeorum adstringuntur illi voto obedientiæ; nec Archiepiscopus est Prælatus eorumdem ordinarius ; cæteri autem Prælati Ordinis nostri à Ministro Generali, aut creantur, & iurisdictionem habent, quia Generalis suas vices sibi committit, (vt Commissarij omnes, dempto Commissario Generali Familiæ) aut confirmantur , sivè infirmantur in electione, vt Ministri Provinciales; (98) & omnes Fratres, & singuli Fratres voverunt obedientiam Generali Ministro in omnibus, quæ *non sunt contraria animæ, & Regulæ nostræ.* (99) Et Generalis est Minister, & servus totius Fraternitatis. (100) Cum ergo vinculo strictiori alligentur Fratres, & Prælati Ordinis Ministro Generali, quàm suffraganei, & eorum subditi Archiepiscopo, & iste non sit Prælatus ordinarius eorum , sicut Generalis est ordinarius omnium Fratrum ; non valet illatio argumentativa ab Archiepiscopo ad Generalem.

(98) Clement. Exivi de Paradiso, §. Demum in fine, de verb. signific.

(99) Regul. Minor. cap. 10.

(100) Regul. Minor. cap. 8.

25 Et hoc magis convalidatur, si attentè examinetur series gubernationis ab initio Ordinis ad nostra tempora. Facta enim confirmatione Ordinis ab Innocentio III. Seraphicus Patriarcha cum omnibus suis socijs professione emissa integravit totum Ordinem, cui ipse tanquam Generalis præsidebat. Nulli tunc Guardiani ; nulli Provinciales ; nulli Commissarij ; & tamen vigebat tunc Ordo Minorum in Ecclesia Dei, sicut nunc. Aucto numero Fratrum , & disperso per Italiam, S. Pater creare incœpit Ministros Provinciales, & Guardianos, qui à sui arbitrio dependebant, & hos creabat, continuabat, absolvebat, sicut melius pro regimine Ordinis sibi videbatur. Oro: per hoc, quod S. Pater Guardianos , & Ministros instituit , abdicavitne à se iurisdictionem , quam habebat in omnes, & sin-

singulos Fratres ex vi Regulæ? Quinimò, propriam authoritatem semper conservavit in omnes,& singulos; & licet alios subditos reliquerit, alios Prælatos creaverit,& hos illis præfecerit Ordinario iure regendis,non tamen fuit ius istorum *privativè* quoad S. Patrem,aliter non fuisset Ordo sub vno capite; sed fuit *cumulativè*;& ita de singulis Fratribus disposuit ipse,sicut eorumdem Prælati immediati disponebant. E mortalibus erepto S.Patre in eius locum, potestatem, iurisdictionem, & cætera omnia successere Ministri Generales,(101)qui plenariam potestatem secundum Regulam in omnes,& singulos Fratres habuerunt, & eam,quam habuit Seraphicus Patriarcha. Amplificata Religione,& per vniversum antiquum Orbem diffusa,diversisque Congregationibus,quæ erant in Ordine,redactis ad nomen, & statum obseruantiæ Regularis sub *vno capite*,nempè *Ministro Generali totius Ordinis*, sapientissimè consideravit Leo X. quod impossibile erat,vt Generalis vnus posset esse par negotijs Religionis tali modo extensæ; ordinavit proindè eligi Commissarium Generalem Familiæ, de quo supra dictum est.Per hoc autem quod Minister Generalis iuxtà citatam Constitutionem Leonis X.vices suas super Familia sibi concredita illi commiserit,& ipse sit superior *ordinarius*,eius tamen iurisdictio non est sibi *privativè* quoad Generalem, sed *cumulativè*; in creatione enim eius non fuit mens Papæ in minimo restringendi authoritatem Generalis,sed dandi sibi coadiutorem sibi subditum,vt sibi auxiliaretur in regimine vastissimæ Religionis.(102) Et quamvis *vices suas* ex ordinatione Papæ teneretur Generalis illi committere, non tamen hoc fuit totaliter, simpliciter, absolutè, & independenter,sed *iuxta dispositionem Capituli Generalis*, quod tamen nunquam statuit,quod authoritas Commissarij Generalis esset privativè quoad Generalem Ministrum;ita vt non posset iste in Familia Commissarij Generalis totum id,quod poterat ante eius institutionem. Imò sancivit, quod in potestate Ministri Generalis sit illi authoritatem suam,vel plenariè committere pro omnibus negotijs, & vniversis Provincijs suæ

(101) *Volumus vnum Ministrum Generalem totius Ordinis omnibus,& singulis Fratribus eiusdem Ordinis cum plenaria potestate,quæ ex Regula sibi competit, præfici.Cui omnes,& singuli Fratres prædicti in omnibus, quæ non sunt contra Deum,animam suam,& Regulam,firmiter teneantur obedire* Leo X. Constit. *Ite & vos*, §.Quia in princip.4. Kalend.Junij anno 1517.

(102) *Verum quia conspicimus ipsum Ordinem per vniversam Christianitatem mirum in modum dilatatum, & ne ob huiusmodi amplitudinem debito Pastoralis regiminis careat beneficio,decernimus, quod Minister Generalis instituat vnum Generalem Commissarium,cui super Fratres Vltramontanos vices suas committat, prout Capitulo Generali expedire videbitur. Ita tamen,quod Commissarius præfato Ministro Generali omninò subijciatur,vt cæteri dicti Ordinis Prælati* Const.Ite & vos supracit. §.Quo verò.

ſuæ Familiæ:vel eam tantùm limitatam impartiri, reſervando ſibi nonnullas Provincias, aut particularia negotia, vt ſonant ſtatuta Ordinis. (103) Et, quod etiam pro cæteris negotijs, & Provincijs authoritas Miniſtri ſit *cumulativè* cum poteſtate Commiſſarij Generalis Familiæ, probat continuata praxis Religionis, ſecundum quam diſpenſationem, litteræ patentes, & obedientiales paſsim dantur à Miniſtro Generali pro Fratribus Familiæ Commiſſarij Generalis. Si ergo iſte (de quo vtpotè digniſsimo omnium Prælatorum Ordinis poſt Generalem eſt maior ratio) non habet iuriſdictionem in ſuos *privativè* quoad Generalem, ſequitur quod cæteri pariter Commiſſarij, quiqui illi ſint, iuriſdictionem, quamvis *plenam*, & ſuper *plenam*, & *ordinariam* habeant, nunquam tamen erit *illa privativè* quoad Generalem Miniſtrum.

(103) Stat. Gener. Salmant. anno 1553. cap. 8. tit. de Commiſ. Gen. *Idem Commiſ. Generalis electus iuxta D Bullam (Ite & vos) in omnibus, & per omnia ſubijciatur General Miniſtro; poſsit tamen exercere ſuum officium, & vti ſua auctoritate, etiam exiſtente Generali Miniſtro in partibus, quibus hæret dictus Commiſſarius, niſi eidem præfatus Generalis ordinaverit, vt negotia aliqua ad ſuum devolvantur iudicium, aut reſervaverit ſuæ plenariæ iuriſdictioni aliquas Provincias per ſe, vel alios Commiſſarios ſuos particulares viſitandas.*

§. V.

SVMMARIVM.

26. *Obedientia debita Miniſtro Generali importat directionem, & coercitionem.*
Et non ſolum in actibus, vt perſonæ privatæ, ſed etiam vt publicè.
Prælatus debet habere iuriſdictionem fori contentioſi.
Summum bonum Reipublicæ eſt ius ſuum cuique reddere.
Sine poteſtate coercendi iuriſdictio eſt contemptibilis.
De correlativis eadem eſt diſpoſitio in iure.
Minores ex vi Regulæ præ cæteris Regularibus tenentur obedire Prælatis.

27. *Evaſio contra prædicta, & confutatio.*
Poteſtas coercitiva Prælati ſuperioris vniverſaliter eſt ſuper omnes Prælatos inferiores.
Archiepiſcopus cenſuris ligare poteſt Epiſcopum in ſuo officio delinquentem.
Poteſtatem directivam Prælatus ſuperior quando poſsit exercere in ſpectantibus ad Prælatum inferiorem.
Epiſcopus validè, ſed non licitè poſſet per ſe regulariter in vna Parochia miniſtrare Sacramenta.

Ar-

Archiepiſcopus extra caſum appellationis non poteſt validè cognoſcere de cauſis ſubditorum ſuffraganei.

Decretum Tridentini non afficit Regulares.

28. *Ex cauſa Prælatus ſuperior poteſt ea, quæ ſunt de officio inferioris Prælati.*

Prælatus ſuperior poteſt ſupplere negligentiam inferioris.

Negligentia Prælati poteſt ſuppleri per ſubditos.

Archiepiſcopus poteſt compellere Epiſcopum ad multa ſpectantia ad ſuum munus facienda.

Contemplatione boni communis ceſſat omnis lex.

29. *Recapitulatio dictorum, & concluſio Articuli.*

26 Aliud corollarium eſt: quod obedientia ab omnibus Prælatis, & ſubditis debita Miniſtro Generali, importat non ſolum directionem civilem, ſed etiam coerctionem criminalem; & non tantum eſt in miniſterijs privatis Religioſi ſubditi, ſed etiam in adminiſtratione publici officij facta à Religioſo Prælato, omnia tamen ſecundum Regulam, & ſtatuta Ordinis. Notum enim eſt, quod Prælatorum iuriſdictio in hoc formaliter conſiſtit, puta: quod non ſolum monitis, conſilijs, vita, & exemplo ſubditos in bonum dirigát, ſed etiam habeant iuriſdictionem fori contentioſi, (104) tùm temporalis, tùm ſpiritualis; & hoc non tantùm civiliter, ſed etiam criminaliter. Spectat enim ad Prælatum ex vi ſui officij poteſtatem ſpiritualem habere ligandi, atque ſolvendi, vt ex citatis iuribus patet; pariter inter ſubditos lites civiles dirimendi, ius ſuum cuique reddendo, quod in quovis regimine ſummum bonum cenſetur; (105) & tandem criminoſos debitis pœnis coercendi, in quo conſiſtit robur poteſtatis iuriſdictionalis, quæ ſine hoc contemptibilis, vtpotè inermis, redderetur, & nihil valeret. (106) Cùm ergo hæc ſint de iure Prælati, ſequitur, quod Prælatus iuxta hæc præcipiendo vtitur iure ſuo, & cum iubere, & obedire correlativa ſint, de quibus in iure (107) eadem eſt diſpoſitio, concluditur, quod etiam de iure Prælati ſit, quod ſubditus in omnibus ſupradictis ſibi obediat. Et hoc reſpectu Fratrum Mino-

(104) Abbas in cap. de multa 22. de Præben. cap. Pernicioſam, cap. Cum ab Eccleſiarum de offi. Ord. vbi gloſ. in v. Eccleſiaſtica, & Innocent. n. 1. cap. Cum in Eccleſijs de maior. & obed. Nauarr. Sum. c. 27. n. 5. Sotus in 4. diſt. 22. q. 2. art. 1. v. Nomine autem apud Peyrin. de Prælat. q. 1. c. 4. §. 4. n. 73.

(105) Cap. Cum deuotiſsimam 12. q. 2. l. Eos qui, C. de appell. & cóſul. Hoſt. Rubr. de offi. Ord. §. Quid pertinet, n. 4.

(106) L. final. ff. de offi. ei. cui mãd. eſt iur. *Iuriſdictio ſine coercitione nulla eſt.* Paul. J.C. lib. 18. ad Plaut. l. 2. ff. de iuriſd. omn. iudic.

(107) L. fin. C. de indict. viduit. toll. Ant. de S. Blas. tract. de correlat. t. 18. fol. 261. allegat. per Cardin. Tuſc. litt. C. concl. 1041. n. 1. vbi Gabr. lib. 6. tit. de leg. concl. 3.

niorum specialiter verificatur, illi enim ex vi Regulæ, vt ponderant Expositores illius, (108) præ cæteris Religiosis tenentur Prælatis suis obedire firmiter *in omnibus, quæ non sunt contra animam suam, & Regulam nostram.*

27 Et ne inutiliter fiat distinctio de Religioso vt subdito, & privata persona; & de eodem vt Prælato, & publicum ministerium exercente; & concedatur quidem quod Prælati inferiores teneantur ad obediẽtiam Ministri Generalis in quantum illi sunt Religiosi particulares, & in ijs, quæ tanquam tales præstare debent ex Regula, & Constitutionibus; sed negetur quod obedire teneantur in quantum sunt Prælati, & in ijs, quæ sunt suæ iurisdictionis. Advertendum: quod iurisdictio directiva, & coercitiva Prælati superioris in Prælatum inferiorem concernit hunc non tantum, vt subditus privatus, sed vt Prælatus publicus. Coercitiva quidem vniversaliter; quia si Prælatus infierior delinquit, sivè dolo malo, sivè non, in suo ministerio, superior aut corrigit, aut punit; & hoc apparet manifestum in Archiepiscopo, qui Episcopum, si in suo officio delinquit, censuris illaqueat, (109) & culpabiliter negligens Episcopus in Synodo sua celebranda potest per Archiepiscopum suspendi. (110) Patet etiam in Episcopo, qui Prælatos inferiores in suis administrationibus delinquentes pœnis spiritualibus, pecuniarijs, & etiam corporalibus exercet. (111) Directivam autem licèt Prælatus superior habeat respectu ministerij Prælati inferioris, eam tamen non licet, neque debet vniversaliter, & regulariter exercere; sed tantùm in aliquibus casibus, sivè per legem determinatis, sivè in quibus militat rationabilis causa. Ratio istorum est: quia si superior vellet inferioris Prælati officium vniversaliter exercere, ipse impediretur in munere suo ordinario, & quasi eo spoliaretur saltem exercitativè, ac confunderetur ordo Ecclesiasticus, & multa inconvenientia turbarent Rempublicam. Et, si superior contra ius, & fas hoc practicaret, nisi favor causæ succurreret defectui facti, factum ipsum nullius esset roboris. Hoc dico: quia si Episcopus omnia Sacramenta

(108) D. Bonavent. Hugo, Barthol. Pisan. specul. Fr. Minor. apud Cordub. expos. Regul. cap. 10. q. 2. v. Dicitur primo.

(109) Cap. Venerabili, vbi Abb. de sent. excomm. cap. Quia cognovimus 10. q. 3. cap. v. Litigantes, cap. Romana de offi. Ord. in 6. Cõtrad. Templ. omn. iudic. lib. 2. cap. 4. n. 28. Rozæ. de Synod. part. 1. n. 45. 46. & 47.

(110) Quarant. Summ. Bullar. v. Archiepiscopi authoritas n. 8. v. 13. M. Ant. Genuen. prax. Archiep. cap. 60. n. 5. cit. à Barbos. de offic. & potest. Ep. par. 1. tit. 4. n. 15.

(111) Cap. In memoriam 19. dist. cap. In singulis, §. Ad hoc ea quæ, §. Quod si Abbas de stat. Monach. Bernard. pract. cap. 134. aliàs 141. in nou. Decretal. Collectan. 170. n. 1. Ciatlin. controv. lib. 1. c. 50. n. 37. & alij, quos dat Barbos. de offic. & potest. Episc. part. 3. alleg. 107. n. 18.

vellet per se ministrare omnibus,& singulis,qui essent de aliqua Parochia, & hoc non semel,sed toties,quoties;valeret quidem talis ministratio,quia causa Sacramenti favorabilis est,& ideo factum (puta ministratio illius) validum est,non tamen esset licitum,quia Parochus turbatus remaneret,& spoliatus exercitio suæ ordinariæ iurisdictionis. In cæteris autem, quæ pendent à pura iurisdictione,& in quibus causæ favor non militat,superior se immiscens in ijs,quæ pertinent ad inferiorem Prælatum,nulliter agit; vt patet in Archiepiscopo, qui de causis subditorum suffraganei vellet cognoscere in prima instantia; attentaret enim, quia sine iurisdictione procederet,cum per iura prohibeatur se immiscere,nisi ad eum deducta per appellationem. (112) In superioribus autem Regularibus, & maximè in Ministro Generali Minorum fallit supra data distinctio; siquidem ipsi possunt ad se avocare causas etiam in prima instantia,& hoc validè, & licitè. Concilium enim Tridentinum (113) prohibens ne superiores avocent ad se causas,nisi per appellationem,postquam fuerint cognitæ in prima instantia ab Ordinarijs,non afficit Regulares, vt communiter dicunt Doctores.(114) Et ratio esse potest: quia Archiepiscopi non tantam habent iurisdictionem in subditos suffraganeorũ,nec Episcoporum potestas emanat, aut sibi communicatur ab Archiepiscopo, quomodo omnes Religiosi ex vi Regulæ subduntur Ministro Generali,à quo ius aliorum Prælatorum emanat. Proinde & validè,& licitè,& in prima instantia cognoscere potest hic causas, quas vetantur Archiepiscopi cognoscere,nisi per appellationem.

(112) Cap. Pastoralis de offi. Ord. cap. Dilectus, cap. Cum causam, cap. Solicitudin. de appellat. capit. 1. de for. compet. in 6. cap. Romana de appellat. eod. lib.

(113) Trident. sess. 24. cap. 20. de Reformat.

(114) Aldret. alleg. pro Regular. exempt. p. 1. cap. 7. n. 4. Ricc. par. 4. decis. 175. n. 7. Barbos. de potest. Episc alleg. 81. n. 13. Nauar. cons. 2. aliàs 3. de offic. deleg. Sayr. in Hor. decis. 1. M. Antonin. var. lib. 4. resol. 15. Zevall. de cogn. per. via viol. p. 2. q. 157. n. 12. Sanch. cons. moral. lib. 6. cap. 9. dub. 5. n. 12. apud Barbos collect. in Concil. sess. 24. de reform. cap. 20. n. 9.

28 Sed, si aut lex, aut alia causa rationabilis dictat hic,& nunc hoc esse faciendum, potest, & validè, & licitè Prælatus superior, aut per se facere, aut iubere Prælato inferiori, vt illud sic, vel sic faciat, & Prælatus inferior tenetur obedire. Ratio est: quia ad Prælatum superiorem spectat inferioris defectus emendare, & maius bonum pro Republica sibi commissa procurare; causæ autem rationabiles, ob quas moveri potest superior ad faciendum id, quod est de ordinario iure in-

inferioris Prælati, aut ad iubendum, quod iste sic, vel sic faciat, reducuntur ad hæc duo capita. Patet autem, quod si negligentia est in inferiori Prælato, eius negligentiam supplet superior (115) de iure, & hoc est pars authoritatis coercitivæ, quam, vt supra dictum est, superior vniversaliter exercet super inferiorem; imò talis negligentia etiam per inferiores suppletur, vt patet in iure. (116) Et sicut potest superior supplere per se, potest etiam iubere inferiori, vt ipse negligentiam suam suppleat, vt patet de Archiepiscopo; qui potest compellere Episcopum ad faciendum id, quod debet; vt ad faciendam Synodum quotannis: (117) Ad deputandum Æconomum, (118) aut Archipresbyterum ruralem, (119) vel ad erigendum Seminarium, (120) & sic de similibus. Si verò militat ratio boni communis totius Reipublicæ, profectò contemplatione istius omne aliud privatum bonum cessat, & corrigitur omnis lex, sivè communis, sivè privilegiata irrevocabiliter, contemplatione publicæ vtilitatis. (121) Si ergò Prælatus, cui primò competit custodia publici boni, motivam causam habet ex hoc procedentem; liquet, quod potest proprio iure vti authoritate sua directiva, & ea disponere, quæ ad Prelatum inferiorem regulariter, & iure ordinario spectant.

29 Sequitur ergò ex his, quod; cum absque omni controversia Minister Generalis sit supremus Prælatus in Ordine, cui primo publica Ordinis vtilitas est commissa, habet in Prælatos inferiores iurisdictionem coercitivam, qua potest eos vniversaliter punire, si delinquunt in officio Prælaturæ; potest, si negligentes sint in deputando officiales idoneos, eorum negligentiam supplere removendo illos, & deputando alios per se, aut iubere Prælatis inferioribus, vt hoc præstent; & si motivum habet publici boni, cessante omni, & quovis iure particularis boni, aut legis faventis in contrarium, potest ipse præstare quæ aliàs regulariter spectant ad Prælatos inferiores, qui consequenter in his Ministro Generali obedire tenentur, cum non militent, nec contra leges, nec contra Regulam, nec contra animam. Et ex hac conclusione sequitur, quod licet

(115) Cap. Ne pro defectu, cap. Cum in cunctis, in fin. de elect. cap. 2. cap Dilectus, cap. Postulastis de concess. Præben. Host. Summ. Rubr. de suppl. neglig. Prælat. §. Et per quem, n. 4.

(116) Cap. Cum simus 9. q 4. cap. Volumus 89. dist. cap. 1. de supplend. neglig. Præl.

(117) Cap. Sicut de accusat. Abb. in cap Si quis contra, n 4. de for. compet.

(118) Cap. In noua 16. q 7. cap. Cum simus 9. q. Sbroz. de Vicario Epis. lib. 1. q. 46. n 4.

(119) Cap final. de offi. Archipres.

(120) Concil. Trident. sess. 23. de reform. cap 28.

(121) L. Item si verberatum, §. final. ff. de rei vindic. Soccin. in l. Si ex facto n. 14. & seqq. ff de legat. 1. vbi Jason n. 7 & Rip. n. 17. Curt. Jun. cons. 6. n. 14. Alexan. cons. 216. n. 18. lib. 2. Bald cons 480. cumulat. per Cardin. Tusc. litt. P. concl. 960. n. 11, 13. & 20.

cèt Commissarius Generalis Indiarum sit Prælatus ordinarius, cui per statuta commissæ sunt vices Ministri Generalis cum plenitudine potestatis, tamen est subditus, & obedire tenetur Ministro Generali, non tantum vt Religiosa persona, sed etiam vt vnus ex Prælatis Ordinis, qui habet iurisdictionem non privativè, sed cumulativè cum Generali; & iste potest illi authoritatem ex causa restringere; omnia in suas Provincias facere, quæ ipse facit ex officio; & non solum per viam coercitivam, & in gradu appellationis, sed etiam in prima instantia, & per viam directivam.

ARTICVLVS SECVNDVS.

In quo refelluntur rationes *Allegantis*.

§. I.

SVMMARIVM.

30. *Proponuntur dicenda.*
31. *Proponuntur tria dicta* Allegantis.
32. *Admissis omnibus, adhuc non sequitur intentum.*
Commissarius Indiarum est substitutus Ministri Generalis.
Ipsius facultas cumulativa cum Commissario Generali Familiæ.
Clausula enunciata ab Allegante *est falsa.*
Testis deponens inverisimilia suspectus est de falso.
Transumpta non authentica non probant.
Probationes per scripturas de domo adversarij non probant.

30 Quantumvis ex dictis in superiori articulo satis probata maneat asserta iurisdictio Ministri Generalis, ex quibus emergit veritas prætensionum *Allegantis*; operæ tamen pretium est expendere rationes, quibus hanc fundamentalem propositionem stabilire contendit *Allegans*. Puta: *Commissarius Generalis Indiarum habet iurisdictionem privativè ad Ministrum Generalem in Indijs*. Licet etiam librare modum proceden-

di

di ipsius, vt quoquomodo causam evincat. Primum præstabimus in hoc articulo; aliud in sequenti.

31 Quoad primum. Cum molestum, ex nimia prolixitate memorialis porrecti Serenissimo nostro Monarchæ verè Catholico, esset omnes eius eloquentia phaleratas rationes adducere, & pari facundia confutare; earum vim ad legales, & formatas propositiones reducemus. Dicit ergo: (122) Quod cum non posset Minister Generalis providere negotijs Indiarum ob vastitatem, tùm Religionis, tùm illarum Provinciarum, instante Rege claræ memoriæ Philippo Secundo, à Ministro Generali Christophoro de Capite Fontium institutus est primus Commissarius Generalis Indiarum residens in Curia Catholica.

(122) Memorial. fol. 7.

2. Quod huic fuerit commissa plenitudo potestatis in vtroque foro super Provincijs Indiarum, & omnibus, & singulis Religiosis illarum partium, sivè subditis, sivè Prælatis cum facultate mittendi ad Indias Commissarios cum eadem, aut limitata potestate.

3. Quod Commissarius Generalis prædictus *iuxta Regiæ Catholicæ Maiestatis piam, & religiosam voluntatem, eiusdemque Indiarum Illustrissimi Senatus consilium in omnibus, quæ ad promovendum Christianam Religionem prodesse viderit, agat, atque omnia disponat.* Addit in margine, (123) quod in patentibus datis ad prædictum Commissarium Generalem habetur hæc clausula: *ac etiam, si opus fuerit ad Curiam Romanam mittendi.*

(123) Memorial. fol. 7. à terg. *Et specificè ad nostrum casum loquens de creando Procuratore in Curia, sunt in litteris patentibus hæc verba, Ac etiam, si opus fuerit, ad Curiam Romanam mittendi.*

32 Omnia quidem hæc admittimus; sed non faciunt ad intentum *Allegantis*. Prætendit enim, vt in sequentibus videbimus, esse Prælatum Generalem super Indijs *privativè* quoad Generalem Ministrum; sed ex patentibus datis à Generali de Capite Fontium cõvincitur, tunc Commissarium Indiarum esse substitutum Ministri Generalis (124) ab eo dependentem; ab eo cum consilio Patrum creatum, non ex præsentatione, aut nominatione, aut Patronatu Regis; & eius potestatem plenariam quidem, non tamen tunc ordinariam. Ineptè ergo ex hoc concluditur ipsius iurisdictio *privativè* quoad Generalem Ministrum; attentó maximè quod Rodericus ipse docet, (125) quòd per crea-

(124) *Ex probatissimorum Patrum maturo consilio operæ pretium fore duximus Generalem aliquem substitutum nostrum, seù Commissarium totius illius novi Orbis instituere, qui iuxta Regiæ Catholicæ Maiestatis, &c.* Fragment. litter. General. de Cap. Fon. apud Orb. Seraph. tom. 1. lib. 3. cap. 17. fol. 287. col. 1.

(125) *Commissarius Generalis Cismontanus non est privatus sua iurisdictione quoad dictos Fratres (Indiarum) & sic potest licentiare eos. Et licentiat de facto, vt in dictas partes possint se transferre. Nec Commissarius Indiarum potest has licentias cassare, & earum executionem impedire.* Roderic. to. 1. q. 52. art. 2. in fin.

creationem Commissarij Generalis Indiarum non fuit adempta Commissario Familiæ iurisdictio in Indos, quorum est Ordinarius superior, cum dent votum ad illius electionem. Proindè authoritas Commissarij Indiarum erat cumulativa cum Commissario Familiæ: ergo à fortiori talis erit cum Ministro Generali. Imposturam verò sapit clausula, quam addit in margine. *Ac etiam si opus fuerit ad Curiam Romanam mittendi.* Etenim finis institutionis Commissarij Indiarum (vt habetur ex fragmento litterarum patentium memorati Generalis) fuit vt ipse, iuxtà *piam, ac religiosam voluntatem Catholicæ Maiestatis, & Indiarum Senatus consilium,* adlaboraret conversioni Indorum, mittendo Fratres idoneos ad evangelizandum. Quæ necessitas autem poterat esse ad hoc mittendi Procuratores in Curiam, cum ibi resideat Procurator Generalis Ordinis, ad quem spectat etiam Indorum negotia (provt semper factum est) expedire? Non est ergo verisimile, quod, nulla vrgente causâ, aut necessitate, Generalis talem clausulam apposuerit. Testis autem inverisimilia deponens, est suspectus de falso, (126) & præsumptioni falsitatis additur vis ex eo, quod non solum litteræ patentes illius Generalis non exhibentur originales, neque authenticum transumptum, & ideo nihil probant; (127) sed quia procedunt à libro confecto à Patre Maldonato, cuius attentata contra iurisdictionem legitimam Ministri Generalis pro officio Commissarij Indiarum notissima sunt; proindè argumento cuiusdam legis (128) nullo modo probant. Et crescit adhuc ratio præsumendi falsitatem, quia fragmentum talium litterarum per extensum recensetur in Orbe Seraphico, (129) vbi dicitur esse transcriptum à libro manuscripto Maldonati; non habetur autem ibi talis clausula. Cum ergò contra *Allegantem* militet præsumptio falsitatis, ipsi incumbit onus probandi legitimitatem illius per exhibitionem originalis, vel authentici transumpti, si vult fidem suam liberare, & à se avertere censuram imposturæ, quæ evadit criminosior, quo tanto Monarchæ intentatur.

(126) L. Ob carmen, §. fin. ff. de Test. cap. Quia verisimile, & ibi Abb. circa fin & Felin. col. 2. de præsumpt. Boss. tit. de oppos. contr. Test. n. 94. Sgroi. lux Prælat. p. 4. cap. 14. n. 8.

(127) Text. in cap. 1. cap. Scripta, de fid. instr. cap. Cum venerabilis, §. Quia verò de except. l. Quicunque, vbi Alberic. ff. de fid. instr.

(128) L. fin. C. de conu. fisc. debit. lib. 10.

(129) Orb. Seraph. tom. 1. lib. 3. cap. 17. fol. 286. col. 2. n. 2. *Patentium earumdem* (litterarum Generalis de Capite Fontium) *breve fragment. à Fratre Iosepho Maldonato in suo de huiusmodi Commissariatu libello descriptum, ne pereat, imò lucem dicendis adaugeat, iuvat hic describere.*

§. II.

§. II.

SVMMARIVM.

33. *Recensentur duo dicta* Allegantis.

34. *Concessis propositis, non sequitur adhuc intentum.*

35. *Falsum demonstratur, quod Rex ordinaverit statuto firmari institutionem Commissarij Generalis.*

Rodericus scribit Regem curasse.

Miranda dicit Regem iussisse.

Refutatur Miranda.

36. *Ostenditur iniuriosum fuisse Religioni, si Rex tale Statutum ordinasset.*

37. *Probatur etiam fuisse Regi indecorum.*

Ordinare, & iubere sunt actus potestatis iurisdictionalis.

Princeps laicus non habet ius in Ecclesiasticos.

Gubernatis scribit Regem instetisse.

33 Secundo dicit.

1. Quòd cum præfato Catholico Regi visum fuerit non expedire, quod deputatio Commissarij Generalis Indiarum dependeret à voluntate Ministri Generalis, voluit, vt per leges statueretur, quod Minister Generalis obligaretur ad committendas suas vices illi Religioso, quem Rex, & eius successores nominarent.

2. Quod Capitulum Generale Toletanum statuit talem Commissarium cum plenitudine potestatis super Indias, & Fratres ad eas quoquomodo pertinentes, subditum Ministro Generali, & non vlli alteri, esse creandum, cum potestate puniendi euntes, aut redeuntes ab Indijs, & perturbantes eos Religiosos, qui vellent ad Indias ire; qui Commissarius crearetur, vt præfertur, cum beneplacito Regis Catholici. (130)

34 Dico ad hæc, quod admissis supradictis (quæ tamen in omnibus non admittenda, tanquam falsa, subsequenter demonstrabimus) non sequitur vllo modo intentum *Allegantis*: puta: *Commissarius Generalis Indiarum habet in suis Provincijs iurisdictionem privativè ad Ministrum Generalem.* Quia in Statutis à se citatis habetur: (131) *Ipse sit subditus Ministro Generali in omnibus, & per omnia.* Ergo subditus tanquam persona privata; sub-

(130) Memorial. fol. 7. à tergo.

(131) *Qui nimirum Commissarius Indiarum immediatè subditus sit Ministro Generali in omnibus, & per omnia* Cap. Tolet. 1583. Stat. Barchinonen. publicat. in Cong. Gen. Segou. 1625. Orb. Seraph. tom. 3. fol. 696. col. 1. v. Qui nimirum.

subditus tanquam Prælatis; subditus potestati coercivæ; subditus potestati directivæ Generalis, in omnibus actibus privatis, & publicis; & *per omnia*, iuxtà ea, quæ demonstravimus num. 22. & seqq. Ergo eius iurisdictio non erit *privativa* quoad Ministrum Generalem, sed *cumulativa*.

95 Adverto autem quod *Allegans* pro causa impulsiva citati Statuti Toletani, assignat *ordinationem Catholici Regis.* (132) Commentum est hoc *Allegantis* veritati contrarium, Religioni iniuriosum, Regi ipsi indecorum. Dixi *commentum*, quia in citatis Statutis, nec verbum quidem habetur de hoc, puta, quod Capitulum Generale motum fuerit ad statuendum, ordinante Rege; & nisi *Allegans* producat instrumentum authenticum, puta: testes, libros, inscriptiones, quæ omnia veniunt nomine instrumentorum; (133) de commentitia inventione manebit præsumptus. Rodericus, qui aliàs totus est in commendanda (meritò) pietate Catholici Monarchæ, & ampliandis eius iuribus, scribit quidem: (134) Regem curasse, vt Generalis de Capite Fontium crearet Commissarium; non tamen habet, quod idem Rex ordinaverit Capitulo Generali, vt Statuto firmaret huiusmodi creationem. Mirandam potest citare *Allegans*; ille enim (135) asserit; quod *iubente Catholicissimo Rege* per Statutum supradictum confirmatum fuit officium Commissarij Generalis Indiarum residentis in Curia Catholica. Sed testimonium Mirandæ authenticum non est, imo suspectum; intentus enim omni conatu est in amplificanda super id, quod par est, Regia in rebus Ecclesiasticis potestate, vt infrà magis patebit. Ipse est in omnibus, & per omnia Sectator Roderici, vt etiam notavit Sanctorus, (136) & (si licet absque iniuria) ipsius purissimus paraphrastes: nil enim in suo manuali habet, quod non dixerit prius Rodericus in proprio Quæstionario; & signanter totus articulus primus quæstionis illius est desumptus *à quæstione 52. tom. 1. Roderici*, vt patet intuenti. Dum ergò Rodericus, cuius totam quæstionem desumpsit, non habet, quod Rex *iusserit* illud Statutum condi; vndè hoc hausit Miranda, cum ne-

(132) *Y assi en el Capitulo General, que se celebrò en Toledo el año de 1583 por ley, y estatuto de la Religion, reconociendose la necessidad precisa, que auia de ello, y ordenandolo assi su Magestad.* Memorial. fol. 7. à tergo.

(133) Text in l. 1. ff. de fid. instr. l. 99. §. 2. ff. de verb. signif.

(134) *Eo autem Rex Catholicus Philippus II. induxit in animum curare, vt Commissarius Generalis crearetur pro omnibus Religiosis quoquomodo ad Indos pertinentibus, qui in Curia Regis Catholici resideat. Ideo Frater Christophorus de Capite Fontium Minister Generalis libenter annuit, & concessit Regi Philippo, vt quem ipse Rex vellet, esset Commissarius* Roderic. tom. 1. q. 52. art. 1. paulò post medium.

(135) Miranda to. 2. q. 14. art. 1. v. *Hic igitur fuit primus Commissarius Generalis Indiarum in Regia Curia residens, cuius officium in Cap. seu Congregatione Generali habita Toleti anno 1583. ipso iubente Catholicissimo Rege, atque efflagitante necessitate, confirmatum est*

(136) Sanctor. Comment. cap. 1. Stat. 4. § 1. v. Eius authoritatem, fol. mihi 16.

neque hoc ſonent ſtatuta ipſa? De ſuo cerebro ergò illam clauſulam confixit, & in hoc non fuit fidelis tranſcriptor Roderici; ſed nec fuit ſecurus Canoniſta, ex eo, quod, vt inferius tangetur, talis *iuſsio* aſſerta ab ipſo, ſicut nec *ordinatio* citata ab *Allegante*, non poteſt Regi in hoc caſu, iuxtà Canones, convenire. Ex quo ergo non habet *Allegans* teſtem magis integrum, quam ſit Miranda, manebit ſemper dictum ſuum ſub cenſura *commenti*, & ita erit veritati contrarium.

36 Dixi: *Religioni iniurioſum*; ſugillatur enim ex neceſſaria conſequentia Religio, ac ſi ita parùm converſionis animarum ſolicita, tàm parùm intenta in rebus ſuis fuerit, vt non agnoviſſet neceſsitatem ſtatuendi Commiſſarium in Curia Regis propter negotia Indiarum expedienda, niſi per regalem ordinationem fuiſſet impulſa. Quando in Capitulo Toloſano 1532. inſtituit Comiſſarium (137) pro Fratribus Indias petentibus Guardianum Hyſpalenſem. Quando in Capitulo Nicienſi (138) ſtatuit quatuor Religioſos examinandos à Generali Prælato ex ſingulis Hiſpaniæ Provincijs, & mittendos ſingulo triennio pro prædicatione Evangelij ad Indias. Quando in Capitulo Generali Mantuano anno 1541. (139) inſtituit Commiſſarium Generalem pro Indiæ Provincijs Fratrem Iacobum à Teſtera Provinciæ Sancti Evangelij; Poſtquam in Congregatione Generali Valliſoletana, vt refert Rodericus, (140) inſtituerat Commiſſarium particularem Indiarum Fratrem Chriſtophorum Anguix (quem vult Rodericus fuiſſe primum Commiſſarium Indiarum *ſolemniter*, hoc eſt ex Decreto legis, (141) *inſtitutum*) indiguit ne Religio ordinatione Regia? Minimè. Quomodo ergo neceſſaria hic potuit eſſe ordinatio Regis, vt Capitulum Generale agnoſceret neceſsitatem creandi Commiſſarium, ac ſi altùm ſterteret Capitulum in re graviſsima, aut diſsimularet negotium ſalutis animarum, ob quod Seraphico Patriarchæ fuit Religio cælitus inſpirata? Effugere autem propoſitas obiectiones, & dicere: ideo neceſſariam fuiſſe Regiam ordinationem, vt ſtatuto firmaretur eius electio, ne ex voluntaria dependentia à Miniſtro

(137) Stat. Capit. Gener. Toloſ. ann. 1532. §. Ver. P. Guardianus Orb. Seraph. tom. 3. fol. 277. col. 2.

(138) Cap. Gen. Nicien. Orb. Seraph. tom. 3. fol. 282. col. 2. v. Omnes Miniſtri.

(139) Stat. Cap. Gen. Mantuan. v. Item pro omnibus. Orb. Seraph. tom. 3. fol. 286. col. 1.

(140) Roder. tom. 1. q. 52. art. 1. circa med.

(141) Hic (Chriſtophorus Anguix) *eſt primus Commiſſarius, qui ſolemniter inſtitutus eſt ad regendos Fratus apud Indos.* Roderic. loc. cit.

Generali fluctuaret eius institutio; est nova iniuriæ refricatio, ac si Religio ad Generalatum eveheret viros, quibus minus zeli pro salute animarum, aut obsequij erga Catholicam Maiestatem infuisset, quam Generali de Capite Fontium, vt proindè necessarius fuerit adigi per legum virgam ad vtrumque præstandum. Quoquo ergo modo versetur res, semper *iniuriosa Religioni* evadet Regia ordinatio: purum *commentum Allegantis*.

37 Dixi tandem: *Regi indecorum*, ac si potuerit in sapientissimo, & omnium retro Hispaniæ Monarcharum prudentissimo Philippo II. tanta cadere inconsideratio, vt non recordaretur se minimè potuisse in rerum Ecclesiasticarum regimine immiscere, aut de Sacra Dei Familia immuni à terreno dominatu disponere, vt pro indè Capitulo Generali aut *ordinaret*, vt vult *Allegans*, aut *iuberet*, vt scripsit Miranda. *Ordinare* siquidem, & *iubere*, sicut, & *imperare* actus sunt potestatis iurisdictionalis; (142) proinde imperat Princeps, & iubet lex, quæ vigorem habet à potestate Principis in subditos. Nullum porrò ius Principi Laico competere potest (143) super Ecclesiasticis personis; cum enim in servitium, & familiam Dei sint cooptati, immunitate per ius Divinum sibi importata gaudent, quam nulli terrenæ, quamvis sublimi potestati, lædere licet, sine extrema Ecclesiasticæ potestatis animadversione. (144) Nequit ergo prudentissimus Rex *ordinasse*, aut *iussisse*, quæ nec *ordinare*, nec *iubere* potuit. Quod si asseratur fecisse, asseri sine Regis iniuria non potest, eo quod illud Rex de iure nó potuisset. Assentior quidem, quod Rex, qui perspicacissimus omnium Regum in re politica, pariterque pijssimus fuit; (& ideo feliciori progressui conversionis Indorum studens Commissarium in sua Curia residentem à Ministro Generali postulaverat) assentior in quam, quod etiam Capitulo Generali desiderium suum aperuèrit, & eo modo, quó tantum Monarcham decebat, institerit, vt lege perpetua idem firmaretur. Ita scribit Gubernatis, (145) qui adnotat Archiuium Aracælitanum, & regestum primum Famil. Vltramont. à quo hæc

(142) Arg. l. 1. ff. de Const. Princ. l. 7 ff. de leg.

(143) Concil. Melfitan. cap. 11. Concil. Sabinen. cap. 4. Concil. Rom. 3. sub Sylvestr. cap. 2. cap. Decernimus de iud. cap. Continua, cap. Christianis, cap. Sacerdotibus 11. q. 1.

(144) Cap. Noverit, cap. Gravem de sent. excomm. Conc. Lateran. 3. cap. 19.

(145) Gubernat. Orb. Seraph. tom. 1. lib. 3. cap. 17. num. 4. fol. 287. col. 1. *Verum tamen anno 1583. in Generali Congregatione Toletana ex utilitatibus, quæ ex huiusmodi delegatione provenerant, nec non ex Regis ipsius instantia permoti Patres decreverunt, &c.*

hæc hausit. Pari modo scribit Rodericus de Carolo Quinto, (146) quod *instantiam* fecerit apud Religionem, vt Fratres ad Indias mitteret. Non tamen *ordinavit*, vt vult *Allegans*, studens per hoc iacere prima fundamenta suæ prætensionis, quam nititur super Regiò Patronatu stabilire. Sed, si fundamentum hoc non tantum nutat, sed etiam somniatum est, chimericum profectò evadet reliquum ædificij, vt ostendemus.

§. III.

SVMMARIVM.

38. *Proponuntur assertiones* Allegantis.

39. *Admittuntur, sed non sequitur intentum.*

Contradictio Allegantis.

Mendacij conuincitur.

38 Tertio dicit *Allegans*: quod in Capitulo Toletano prædicto 1583. sancitum fuit.

1. Quod Commissarius Generalis Indiarum sit subditus soli Ministro Generali.

2. Quod habeat potestatem plenariam in personas Religiosas habitantes, aut quoquomodo pertinentes ad Provincias Indiarum.

3. Quod vocem habeat in Capitulo Generali, vt Minister Ministrorum Indiarum, & multa alia privilegia; & addit: (147) hæc omnia fuisse confirmata in Capitulo Generali Romano 1587. & per Motum proprium Sixti V. concessum ad instantiam D. Regis Philippi Secundi.

39 Omnia hæc grandia, omnia decora, sed nihil ad consequentiam prætensam, nempè: *Ergò Commissarius Generalis Indiarum habet iurisdictionem privativè quoad Ministrum Generalem.* Et ratio euidentissima est ex statutis à se citatis, quæ aiunt illum esse subiectum Ministro Generali. Libet autem hic advertere contraria, quæ dicit *Allegans*, qui proindè evadit de mendacio convictus, cui non debet credi. (148) Dicit enim statuta illa fuisse confirmata à Papa per *Motum proprium*, instante Rege: factum *motu proprio*, & ad *alicuius instan-*

(146) *Ad instantiam Caroli V. cautum est, vt vnaquaque Provincia tertio quoque anno tres, aut quatuor Fratres ad Indos destinaret.* Roderic. tom. 1. q. 52. art. 1. paulò post init.

(147) *Estas Constituciones, Señor, y ereccion de Comissario General de las Indias con vezes de General, se hallan confirmadas, assi por constitucion del Capitulo General, que se celebrò en Roma el año de 1587. como por vn Motu proprio de la Santidad de Sixto V. concedida â instancia del mismo Señor Rey Don Phelipe Segundo.* Memorial, fol. 8. à terg.

(148) *Qui in eodem iudicio contraria dicit est convictus de falso*, Ghisler. de Iudic. Regular. cap. 17. n. 83. Berti in prax. tit. 4. cap. 11. num. 83. Bald. in l. cum causam, num. 3. de Test. Clar. Farinac. Dec. Ricc. Grammatic. cumulati per Sgroi. lux Prælat. part. 4. cap. 10. num. 6.

stantiam pugnant inter se; vt patet. Si ergo confirmatio illa fuit per *Motum proprium*, quomodò ad instantiam Regis? Fuisse *Motum proprium* testantur statuta publicata in Congregatione Generali Segouien. (149) anno 1621. hæc ergo pars contradictionis subsistit. Aliud ergo membrum, nempè ad *instantiam Regis*, est phantasiatum ab *Allegante*. Et quo fine? Vt aliud adminiculum adderet regali patronatui prætenso, ac si Rex ideo instasset apud Papam, vt confirmaretur illa dispositio Generalis Capituli, quia ageretur de aliquo tangente ius ipsius. Sed hoc adminiculum laborat vitio eodem, quo demonstravimus confici superius fundamentum de *Regia ordinatione*. Cifra ergo addita cifræ; & phantasmati chymera.

(149) *D. Papa Sixtus V. id soluit proprio Motu.* Stat. Cong. Segov. 1621. tit. stat. Gen. pro Fratrib. ad Provin. Ind. cap. 1. v. Statuitur Orb. Seraph. tom. 3. fol. 696. col. 2.

§. IV.

SVMMARIVM.

40. *Afferuntur dicta* Allegantis.

41. *Concessis vltrò præmissis, non sequitur consequentia illius.*

Generalis Merinero non obtinuit Breve, quo Rex spoliaretur iure nominandi Commissarium Generalem Indiarum.

Probatur falsum dictum primum Allegantis.

42. *Probatur falsam esse revocationem assertam Constitutionum Capituli Toletani* 1645.

Testem à se productum refutare non potest Actor.

Testis productus plenè probat contra producentem.

Probatur falsus modus reuocationis adscitæ.

43. *Probatur falsum esse, quod Religio fecerit pactum cum Rege.*

Inepta paraphrasis Allegantis.

Pactum quid significet apud Grammaticos, & iure consultos.

Guardianus tenetur servare pacta facta cum consensu sui Capituli Conuentualis, licèt non intervenerit in ijs placitum Prouincialis, aut Generalis.

44. *Alia probatio, quod pactum nullum fuit factum.*

Concordia inter Religionem, & Regem, quænam fuerit.

45. Proi-

45. *Probatur; quod dato; quod aliquod pactum fuisset factum, illud fuisset nullum.*

Si pactum fuisset factum in Congregatione Victoriæ, esset nullum.

Quod tangit omnes, debet probari ab omnibus.

Vna familia Religionis compromissit in aliam solum in Vicario Generali eligendo.

Evasio refellitur.

Leges interpretari eius est, cuius est eas condere.

46. *Pactum non tenet, nisi de re licita.*

Par in parem imperium non habet.

Vnum Capitulum Generale non potest condere statutum obligans aliud Capitulum Generale.

Religio guadet priuilegio Minorum.

Potest petere restitutionem in integrum.

Et debet concedi, licèt sit lapsum quadriennium.

Ex alio capite astruitur nullitas pacti, si fuisset.

Pactum de re spirituali non valet.

Neque per viam transactionis.

Neque sub nomine permutationis.

47. *Concesso, sed non admisso, quod fuerit factum pactum assertum, & fuisset validum; adhuc non sequitur intentum* Allegantis.

48. *Satis fit obiectioni circa Breve Vrbani Octavi obtenti à Generali Merinero,*

40 Quarto dicit *Allegans*: quod cum Capitulo Toletano 1645. essent conditæ Constitutiones, in quibus exprimebatur, quod electio, missio, correctio, &c. Commissariorum Generalium, qui ad Indos mittuntur, pertineret ad solum Ministrum Generalem *privativè*, & quædam alia ad eos spectantia in dictis Constitutionibus exprimebantur; pijssimæ memoriæ Philippus Quartus cognoscendo præiudicium officij, & Regalis sui Patronatus; (150) & sciens à Generali Merinero obtentum fuisse Breve, in quo sanciebatur nominationem Commissarij Generalis Indiarum spectare absolutè ad Generalem; & proindè sancitum fuisse in dictis Constitutionibus, quod missio, correctio, &c. Commissariorum del Perù, & Novæ Hispaniæ spectaret ad Ministrum Generalem *privatiuè*; & con-

(150) Conociò la Magestad del Señor Rey Phelipe Quarto lo perjudicial, que eran al oficio, y su Real Patronato estas Constituciones. Tenia entendido, que el General Merinero avia sacado Breve, declarando, que la nominacion del Comissario General de Indias, tocava absolutamente al Ministro General; y por el consiguiente las visitas, correccion, y castigò de los Comissarios Generales del Perú, y Nueva España; y que para su execucion se dispuso assi por la 2. Constitucion, que despues del Capitulo General se formò en el Difinitorio General, &c. Memorial fol. 12.

chiuia, & Regeſta Religionis. Si ergo *Allegans* citat Gubernatis, & hic non dicit quæ recitat ille, profectò falſus detegitur *Allegans*. Aliàs Tabulas Congregationis Victoriæ impreſſas videre non licuit, nec potui certiorari: an res ſe habeat, vt ille ſcribit. Vt iure dicam falſum eſſe, quod adducit, ſufficit mihi teſtimonium Auctoris à ſe producti, quem de iure (156) repellere non poteſt, cum pro ſe produxerit, & plenè contra ſe probet. Si forte exemplaria Tabulæ illius Congregationis circunferantur, in quibus reperiatur revocatio, de qua eſt quæſtio, & quæ adducitur ab *Allegante*, illa erunt vitiata ab ijs, quorum intereſt, quod talis revocatio ſubſiſtat; nec talibus vllomodo credendum, donec appareat de originali authentico, quod tamen nunquam demonſtrabitur. Falſitas autem quoad modum, ſecundùm quem dicitur concepta revocatio, detegitur ex inveriſimili, quod narratur; inveriſimilitudo autem in iure obtinet qualitatem falſi. (157) Inveriſimilitudo autem eſt, quod expreſsè dicatur in ſtatuto revocatorio: quod Rex *iuſſerit*: & quod virtute *Regij mandati* (158) Conſtitutiones Toletanæ abrogatæ declarabantur. Quis enim credere poterit Philippum Quartum, cui nullus vnquam par fuit in pietate erga Deum, reverentia erga Eccleſiam, & ſtudio erga Religionem Seraphicam, voluiſſe vti ſevero titulo *iuſsionis*, ſeù *mandati* agendo cum Eccleſiaſticis, quibus Principi Laico imperare ſtricto iure, niſi violata Eccleſiaſtica libertate, vtpotè non ſubditis, vetitum eſt? Eſto quod Rex deſideraverit illas Conſtitutiones aboleri; deſiderium ſuum Generali aperuiſſet, non tamen ſub rigida forma mandati, quod optimè callebat Rex à ſe fieri non poſſe. Quis credet doctiſsimos ex tota Religione viros ea conniventia in tuenda Eccleſiaſtica libertate laboraſſe, vt in decreto ſuo apponerent; ſe *virtute Regij mandati* Conſtitutiones revocare, & in negotiò ſpiritualis regiminis Principem Laicum agnoſcerent iure imperantem; cum optimè ſcirent ex Sacris Canonibus (159) mandata Principum Eccleſiaſticæ libertatis læſiva, non auſcultanda, imò etiam de Capitu-

(156) Text. in l. Siquis teſtibus, vbi DD & maximè Salyc. de teſt. Felin. in capit. Veniens 1. col. fin. circa princ. eo tit. Alex. conſ. 66. col. penult, vol 1. Angel. in Auth. At qui ſemel, col. 2. de probat. apud Boſſ. tit. de public. proceſſ. & teſt. num. 13.

(157) Abb. in cap. Quia veriſimile, n. 3. de præſumpt. Dec. conſ. 684. in fin. & conſ. 596. n. 8. & conſ. 94. col. 2. Aret. in cap. 3. loco de probat. col. 3. Felin. in cap. Quia de præſumpt. Bald. in l. Præsbyteri in 4. notab. C. de Epiſ. & Cler. Iaſ. in l. præſcriptione. col. 3. C. ſi contra ius vel vtil. Boſſ. tit. de oppoſit. contra teſt. n. 94.

(158) *Quoniam Catholicus Rex noſter litteris ſuis expeditis Cæſarauguſtæ die 1. Iulij anno Domini 1646. iuſsit Miniſtro Generali Fr. Ioanni de Napoles, quod Conſtitutiones Generales, &c.* Et infra: *Quapropter virtute ipſius mandati declaratur eſſe ſtabilitas abſque ſcientia, & commiſſione diſcretorij generalis, &c.* Memor. fol. 12. à tergo In marg. n. 10.

(159) Cap. Noverit. Cap. Grave de ſent. excomm. in 6.

tularibus delenda? Esto quod revocare voluissent, vt gratum Regi facerent, apposuissent causam revocationis esse, quia præcedentes Constitutiones non fuerant factæ cum scientia Discretorij, vt ibi dicitur, non autem quod revocarent in *virtute Regij mandati.* Si ergo inverisimiles tales clausulæ sunt, falsitatis vitio laborant, & sunt ideo confictæ aut ab *Allegante*, aut à Maldonato, vt sibi pararent brocardicum pro stabiliendo Regio patronatu dispotico in omnibus concernentibus negotia Indiarum, ostenso quod Congregatio illa in tantum agnoverit vigere ius Regis, quod etiam *virtute Regij mandati* Constitutiones aboleverit.

43 Tertium falsum est: quod Religio tunc fecerit pactum cum Rege de manutenendo integro, & illæso iure Commissarij Generalis Indiarum. (160) Vbi nam enim apparet de tali pacto? In tenore (dicit *Allegans*) Statuti revocatorij, quod sic habet: *Vt hoc pacto officium Commissarij Generalis Indiarum maneat illæsum.* Parum Canonista ex contextu totius memorialis apparet *Allegans*; sed in hoc loco nec bonum Grammaticum se prodit; dum hoc verbum *pacto*, positum à Statuto, interpretatur sic: *en fuerça de este pacto.* Pactum enim apud Grammaticos duplicem habet sensum: vno modo accipitur pro *conuentione*, vt habet Cicero; (161) in alio sensu accipitur pro modo. (162) In iure pariter aliquando accipitur pro *consensu* plurium in idem placitum; (163) aliquando pro *stipulatione*; (164) aliquando autem pro *modo.* (165) Quando accipitur pro stipulatione concordata, aut *consensu*, in quo convenitur, exprimitur id, in quo cadit concordia, vel *pactum*; si ergò inibi nihil agitur de eo, super quo paciscitur, nec de re antea pacta apparet, nec de partibus paciscentibus fit mentio, vbi erit locus interpretationi, quod in illis Statutis Religio pacta sit cum Rege? Quiuis porrò tyrunculus in Grammatica non exponet in paraphrasi illius Statuti: *vt hoc pacto; à fin que en este modo. ò manera: Allegans* autem (166) vult quod li: *hoc pacto*, intelligatur: *en fuerça de este pacto, que se haze à su Magestad.* Quod sane mirum est,

(160) *Y assi se revocan, para que mediante esta revocacion, y en fuerça de este pacto: que se haze à su Magestad, el oficio del referido Comissario General de Indias, quede en su originaria autoridad ileso, y integro.* Memor. fol. 12. à tergo.

(161) *Pactum est, quod inter aliquos convenit, quod iam ita iustum putetur, vt iure præstari dicatur*, Cicer. lib. 2. de invent. & lib. 3. de offic. *Pacta, & promissa semper servanda sunt.*

(162) *Eo pacto, & gnati vitam, & consilium meum cognosces.* Terent. in Andr.

(163) Text. in l. 1. §. Et est pactio, ff. de pact.

(164) L. cum dos, ff. de pact. dotal. Alberic. in Diction. fol. mihi 107. à tergo.

(165) L. nullus. C. de Palat. Sacr. Larg. & rer. priv. lib. 12.

(166) Quis non miratur acumen? Iuuenal. Satyr.

est, & attentione dignum; cum immediate post in margine, num. 51. astruens institutionem Vice Commissarij Indiarum in Conventu Hispalensi, factam in Capitulo Generali Romano anno 1587. inter alia refert quod ibi decernitur: *Nullo pacto, vt eorum, aliquis* (Religiosus nempè ab *Indijs* rediens) *Catholicæ Maiestatis Curiã, nisi, &c.::: accedat, consentiat.* Qualiter hic interpratabitur *Allegans* li: *Nullo pacto*? Dicet ne: *por ningun pacto*, ò concordia? Minimè. Sed: *de ningun modo, ò manera*; nisi latinitatis præsidio omnino destitutus. Quare ergo inibi, cum idem verbum sit, & sub eodem sensu, & ratione, sive affirmante, sive negante, exponit li: *Vt hoc pacto*, sic: *para que en fuerça de este pacto*? Revera hoc facit, vt ex sua intentione sinistra liquet, non ex inopia Grammaticæ, sed ex abundantia malitiæ. Et quare? Vt manicæ inijciantur Religioni, ne de Commissario Indiarum, tanquam de suo non subdito, vllo modo disponere futuro vnquam tempore possit, ex quo Religio pactum de hoc cum Rege fecit. Si enim simplex Guardianus, vt habet textualiter quædam Decretalis, (167) cogitur servare pacta facta cum consensu Capituli Conventualis, esto non intervenerit in illis voluntas Provincialis, aut Generalis; à fortiori obligata per tale pactum remanebit Religio collecta in Congregatione Generali.

(167) Cap. fin. §. Nos his de pact. lib. 6.

44 Sed profectò tale pactum nunquam fuit, & si fuisset, nullum ipso iure esset; quod ostendo. Quia Philippus Secundus tantùm *curavit*, vt vtar verbis Roderici, (168) apud Generalem de Capite Fontium, vt crearetur Commissarius Generalis Indiarum, qui in sua Curia resideret; nec pactum aliquod cum ipso Generali, aut cum tota Religione fecit; sed Generalis ipse ex sua plena libertate annuit votis Regis postulantis, & concessit Regi facultatem nominandi, quem ipse vellet, missis patentibus litteris ad Regem, in quibus committebatur plenaria facultas Commissario deligendo per Regem ipsum per appositionem nominis, quod in litteris desiderabatur. (169) Nullum ergo hic intervenit pactum, sed pura postulatio Regis, & condescensio Generalis. Cuiusdam concordiæ inibi

(168) *Eo autem Rex Catholicus Philippus Secundus induxit in animum curare, vt Commissarius Generalis crearetur.* Roderic. tom. 1. q. 52. art. 1.

(169) Gubernat. Orb. Seraph. tom. 1. lib. 3. cap. 17. n. 2. fol. 286. col. 2. *Minister Generalis, vt iustissimæ Catholici Regis instantiæ plenius satisfaceret, expeditis patentibus, sed nomine Commissarij non apposito, anno 1572. Regi Catholico induisit, vt minoritam aliquem de primarijs sibi benevisum nominaret.*

bi

bi mentionem facit Rodericus (170) initæ inter Regem, & ordinem; sed hæc non respicit personam, aut officium Commissarij, sed numerum Fratrum mittendorum ad Indias. Fuit autem concordia, quod, vt negotia ardua resolvantur, communicentur Regi; vt dicto loco constat; & quod Ordo Fratres necessarios pro conversione Indorum assignaret; & quod Rex viaticum ex ærario suo illis subministraret; proindè in Capitulo Toletano 1583. cautum est, ne Fratrum maior numerus mitteretur eo, qui à Regio Indiarum Senatu postularetur. (171) In Capitulo eodem, in quo per Statutum decreta fuit creatio Commissarij Generalis Indiarum, vt supra diximus, nulla fit mentio de pacto concernente officium illius, sed tantum dicitur, quod creatio illius facienda à Generali Ministro, sit ex assensu, & beneplacito Catholici Regis. (172) A Philippo Secundo ad Quartum nulla inter Ministrum Generalem, & Commissarios Generales Indiarum pro tempore existentes, fuit lis, donec à Maldonato suscitata fuit scandalosa prætensio eximendi se, & successores à dependentia Superioris, referendo suam institutionem in ius Regium independenter à Generali; dum ad solam præsentationem Regij Consilij nominatus à Rege, extorsit à Generali Merinero litteras patentes suæ institutionis, & per 12. annos, vt adnotat Gubernatis, (173) pro sui officij indebita ampliatione vsque ad mortem pugnavit. Sub hoc Commissario Generali Indiarum factæ fuerunt Constitutiones in Capitulo Toletano 1645. quas abrogatas asserit *Allegans* in Congregatione Victoriæ 1648. & in his nec vmbra apparet pacti alicuius, vel concordiæ inter Catholicum Regem, & Religionem circa officium Commissarij Ganeralis Indiarum. Quo fundamento ergò potest dicere *Allegans: En fuerça de este pacto, que se haze con su Magestad.*

45 Esto autem, quod pactum fuisset factum; (quod tamen, quia falsum, non admitto) quænam fuissent in tali pacto concordata? Divinare circa hoc possumus; sed quantum conijcere valemus ex dictis *Allegantis*, fuit, quod Constitutiones illæ Capituli Ge-

ne-

(170) *Ne tanta cum pernicie negotia dilatarentur, & si quæ essent res arduæ Regi communicandæ, observata, quæ decet concordia inter Regem Catholicum, & Ordinem nostrum, cum facilitate absolverent.* Roderic. loc. supra cit.

(171) Stat. Cap. Tolet. 1583. Orb. Seraph. tom. 3. fol. 697. col. 1. *Cum Regia, & Catholica Maiestas expensas faciat omnibus Religiosis, qui ex Hispania ad Indos proficiscuntur, præcipitur, vt nunquam Fratres illuc mittantur, nisi cum à Regio Senatu Indiarum fuerit postulatum, nec maior numerus Fratrum ad eosdem Indos mittantur, quam sit ab eodem Senatu consignatus.*

(172) *Vnus Commissarius Generalis Indiarum à Rmo. P. Generali ex assensu, & beneplacito eiusdem Regis Catholici præficiendus, in eius Curia resideat.* Stat. Tolet. 1583. Orb. Seraph. loc. cit. fol. 696. col. 1.

(173) Orb. Seraph. tom. 1. lib. 3. cap. 17. fol. 291. col. 1.

neralis Toletani remanerent perpetuò abrogatæ; sicque non tantùm in suis iuribus illæsum remaneret officium dicti Commissarij Generalis, sed etiam ampliatum, adiudicata in eius favorem causa: nempè, quod ipsi cumulativè liceret cum Ministro Generali Commissarios Generales *del Perù*, & *Mexico* deputare. Sed pactum hoc est ipso iure nullum, &, si factum fuisset, nullum fuisset. Quia Capitulum illud Victoriæ non erat generale, sed familiæ tantum Vltramontanæ; non poterat ergò illa obligare totam Religionem, nec lædere ius ipsius, revocando leges factas in Capitulo Generali; quod enim tangit omnes ab omnibus approbari debet. (174) Et quamvis vtraque familia reciprocè compromiserint in se invicem in electione Vicarij Generalis pro toto Ordine, casu quo decedat Minister Generalis, (175) non tamen reperitur aliquod compromissum, ob quod liceat alterutri condere Constitutiones obligantes totum Ordinem, aut revocare alias factas in Generali Capitulo, in quo totus Ordo convenit. Et in facti contingentia, quando actum est de concedenda voce activa in Capitulo Generali Commissario Generali Indiarum, quia agebatur de negotio tangente totum Ordinem, debuit intervenire consensus vtriusque familiæ, vt factum fuit. (176) Nec valet dicere quod Constitutiones revocatæ non fuerunt insinuatæ Discretorio Generali, & proindè non erant leges Capituli, sed Diffinitorij Generalis tantùm, quas poterat Congregatio Generalis abrogare. Quia Constitutiones illæ fuere publicatæ tanquam Statuta condita simul cum alijs ab vniuerso Ordine; & ad vniuersum Ordinem spectat recognoscere, & declarare: an fuerint factæ vniuersali consensu, aut non. (177) Præterea revocatio dictarum constitutionum, quæ dicitur ab *Allegante* facta in Congregatione Victoriæ, est omninò falsa, & ficta, vt supra probavimus; fictum proindè etiam debet censeri, quod ibi dicitur, puta: quod Constitutiones revocatæ factæ fuerint absque scientia Discretorij. Esto autem verum esset, quod Constitutiones illæ fuissent conditæ à solo Definitorio Generali, legitimè condi-

(174) Cap. Quod de reg. iur. in 6. cap. 1. de his, quæ fiunt à maio. l. 2. §. si Aquæductus, l. fin de servit. præd. l. fin. C. de Author. præst. Bart. in l. nulli, ff. Quod cuius vniu. nom.

(175) Stat. Gener. Ord. cap. 8. §. 35. num. 12.

(176) Stat. Cap. Tolet. 1583. Orb. Seraph. tom. 3. fol. 696. col. 2. v. *Statuitur, vt Commissarius Generalis Indiarum in Capitulis Generalibus vocem habeat. In hoc autem Cismontana, & Vltramontana familia consenserunt in Capitulo Generali Romæ habito.*

(177) Cuius est condere, eius est declarare text. in l. si Imperialis, §. Cum igitur, l. leges, sacratissimæ, l. cum de nouo, C. de leg. & Const. Princip. arg. cap. exijt in fin. de verb. signif. in 6.

tæ

tæ fuiſſent, quia Diffinitorium eſt Senatus totius Ordinis; porrò Senatus de iure (178) poteſt leges obligatorias condere; adhuc tamen fuiſſet nulla revocatio eo, quia facta abſque interventu completi Diffinitorij, à quo integraliter, vtpotè in Generali Capitulo priores Conſtitutiones fuere conditæ.

46 Ex alio capite apparet nullitas illius pacti, ſi fuiſſet. Notum enim iure eſt, pactum non tenere, niſi de re licita, (179) & quæ legitima de iure ſit; porrò de iure eſt, quod par non poteſt obligare parem, eo quia in eum non habet imperium. (180) Quamtumvis ergo pacta fuiſſet à Capitulo Generali cum Rege perpetua revocatio illarum Conſtitutionum; pactum illud non valeret; non enim vnum Capitulum Generale poteſt condere leges, quæ non poſsint revocari ab alio Capitulo Generali, quod æqualem habet poteſtatem; neque irrevocabiliter nomine Religionis paciſci; maximè cum læſione eiuſdem Religionis, quæ de ſuo iure deperdat aliquid, vt eſt in caſu. Vnde tanquam *minor* re, nomine, & privilegio, ſemper gaudet priuilegio reſtitutionis. (181) Nec hoc impedit lapſus quadriennij; ſuccurri enim illi deberet ex ratione tacta per quamdam gloſſam. (182) Alia autem non minus ſcandaloſa, quam evidens nullitas emergeret ab aſſerto pacto; & eſt, quod, cum illud verſaretur circa nominationem, & officium Eccleſiaſticum, eſſet pactio ſuper re ſpirituali, ſuper qua omne pactum eſt illicitum, tanquam ſimoniacum, vt dicunt Canones; (183) & proindè ipſo iure nullum. Neque excuſabile vllo modo redderetur titulo, aut tranſactionis, aut permutationis, quando quidem etiam iſta circa res ſpirituales ſimoniaca, illicita, & invalida à Canonibus (184) declarantur.

47 Concedamus tamen (per fictionem facti) ſequutam fuiſſe aſſertam revocationem, & modo, & in terminis ab *Allegante* narratis; & in ea interveniſſe pactum inter Religionem, & Regem; & pactum eſſe validum; non tamen adhuc ſequitur intentum *Allegantis*; quod palmariter demonſtro. Siquidem in Statuto revocatorio producto per *Allegantem* ſic habetur: (185)

(178) Text. in l. Senatus, ff. de legib.

(179) Cap. Fin. iunct. Gloſſ. in v. legitimas, vbi Abb. n. 1. de pact. cap. Quia ex eo, §. Nos his eo tit. lib. 6. l. Nepos Proculo in fin. ff. de verb. oblig. Iaſ. in l. Non ſolum, §. Morte, col. 20. in fin. de oper. nou. nunc Alex. conſ. 3. col. fin. verſ. Quinimo, vol. 4. quos dat Sebaſt. Sapia Add. ad Abb. in cap. Pactiones, n. 1. litt. B. de pactis.

(180) Cap. Exijt. §. Denique in fin. de verb. ſignif. in 6.

(181) Cap. Requiſiuit, cap. Auditis de in integr. reſtit. cap. Eccleſia eo tit. in 6. Gloſſ. in l. Reſpublica, & ibi Bart. C. qui ex cau. maio. Afflict. diſt. 390. col. 1. n. 2. Alex. conſ. 150. lib. 7. Signorol. conſ. 252. v. Præterea eſt adverten. Corn. conſ. 148. col. 3. v. Non enim, lib. 1. Tuſc. M. concl. 241. n. 1. 2. 3. & 4.

(182) Gloſſ. in cap. 1. in v. Cauſa de pact. in 6. *Multas mutationes Prælatorum habuit Eccleſia, ſed Religio, & ſubſiſtit cauſa rationabilis petendi reſtitutionem in integrum.*

(183) Text. in Cap. Pactiones, cap. Cum pridem, cap. Accepimus, cap. Cum Clerici de pact. cap. Tua nos de Simon.

(184) Text. in cap. Præterea 1. cap. Conſtitutus, cap. Super eo de tranſact. cap. Ad quæſtiones iunct. Gloſſ. in v. Per ſe de rer. permutat. arg. cap. Nemini 16. quæſt. final.

(185) Memorial, fol. 12. à tergo in marg. num. 10.

vt hoc pacto officium prædicti Commissarij Generalis Indiarum maneat illæsum, & integrum iuxtà Bullas Apostolicas, & Constitutiones Ordinis. Statutum ergo revocatorium nihil disponit contra Constitutiones conditas in Capitulo Toletano 1645. & proindè si ordinat, quod circa officium Commissarij Generalis Indiarum serventur Bullæ Apostolicæ, & Constitutiones Ordinis, nullo modo sunt revocatæ Constitutiones illæ, quæ ibi dicuntur revocari; & sic Statutum illud Victoriæ, sibi ipsi contrarium est, proindè nihil agit. Etenim tum Bullæ Apostolicæ, tum omnes Constitutiones Ordinis sonant, quod deputatio Commissariorum Generalium degentium in Indijs, spectat ad Generalem privatiuè. Etenim primus Commissarius Generalis deputatus ad illas partes in Capitulo Generali Mantuano, (186) qui, vt supra dictum est, fuit Frater Iacobus de Testera, subiectionem, sicut institutionem à Generali habuit. Annò 1559. in Capitulo Generali Aquilano, (187) ob dilatam in Indijs Religionem, decretum fuit instituendos duos Commissarios Generales in Indijs; & hos non ab alio, quàm à Ministro Generali; & adhuc nullus erat Commissarius Generalis Indiarum residens in Curia Regis. Hoc per Statutum Toletanum anni 1583. instituto, in eodem Capitulo sancitum est, vt eorum institutio continuaretur; facienda tamen à Ministro Generali. (188) Quod Statutum in Segouiensibus fuit renovatum. Hoc ex veteri consuetudine inolitum practicari testatur Gregorius XIV. (189) Hoc item colligitur ex Brevi Vrbani Octaui, (190) in quo prohibetur Ministro Generali concedere facultatem redeundi in Hispaniis Commissarijs Generalibus Indiarum ante habitum de ipsis Sindicatum; ex quo facile intelligi potest ab eodem Ministro Generali esse missos; si ab ipso facultatem remeandi ad proprias Provincias obtinebant. Hoc tandem Constitutione sua expresè firmavit idem Papa anno 1643. biennio ante celebrationem Capituli Toletani, declarando ad solum Ministrum Generalem spectare illorum creationem, & inhibendo Commissario Generali Indiarum in Curia Regis, ne alios Com-

(186) *Generalis Commissarius instituitur Ven. P. Fr. Iacobus à Testera Provinciæ S. Evangelij Custos, hac lege, vt R.mo Generali Ministro in omnibus, & per omnia iuxtà regulam, & Ordinis Statuta subdatur.* Cap Gener. Mantuan. Orb. Seraph. tom. 3. fol. 286. col. 1. v. Item pro omnibus.

(187) Cap. Gener. Aquilan n. 20. Orb. Seraph. tom. 3. fol. 349. col. 1. v. 20. decernimus.

(188) *Statuitur; vt duo Commissarij Generales semper resideant in illis partibus, vnus pro Provincijs Novæ Hispaniæ, alter verò in Provincijs del Perù. Isti verò Commissarij erunt constituendi per Ministrum Generalem.* Stat. Cap. Gener. Tolet. 1583. Orb. Seraph. tom. 3. fol. 693. col. 1. vers. Et quia.

(189) Greg. XIV. Religiosorum. Dat. Romæ 25. Aprilis 1591. & habetur Orb. Seraph. tom. 1. lib. 3. cap. 18. n. 6. fol. 591. col. 2. *Ex veteri ipsius Ordinis consuetudine à Ministro Generali pro tempore deputari soleant Commissarij Generales eiusdem Ordinis in Indijs Occidentalibus, &c.*

(190) Vrban. VIII. Exponi Dat. Romæ 27. Augusti 1641. Orb. Seraph. tom. 1. fol. 196. col. 1.

Commissarios Generales ad Indias mittat. (191.) Si ergo iuxta Apostolicas Constitutiones deputatio Commissariorum spectat privatiuè ad Generalem, & hoc idem sonant Constitutiones Ordinis; Statutum autem Victoriæ, quod asseritur correctorium Constitutionis Toletanæ, vult quod in hoc serventur Bullæ, & Constitutiones Ordinis; sequitur quod Statutum prædictum confirmat illas easdem Constitutiones, quas *Allegans* prætendit fuisse ab illo revocatas.

48 Quod si dicatur: citatum Breve Vrbani VIII. esse illud, quod *Allegans* dixit fuisse impetratum à Generali Merinero, & impeditum à Rege, ne acceptaretur, quod nos supra negauimus. Dico: quod Breve modò à nobis citatum nullo modo potest esse illud, quod *Allegans* dicit; quia Breve hoc nón fuit impetratum à Merinero, sed à Procuratore Ordinis, & pro pura confirmatione Statutorum Ordinis, nihil penitus aucto, vel innovato, & in hoc non continetur, quod creatio Commissarij Generalis Indiarum residentis in Curia absolutè spectet ad Generalem, sed explicitè ponitur *consensus Regis Catholici*. *Allegans* autem dicit: Breve illud fuisse impetratum à Generali Merinero, & quod in eo continebatur, quod nominatio dicti Commissarij Generalis Indiarum absolutè spectabat ad Ministrum Generalem. (192.) Vnde cum Breve non contineat hoc, à quo poterat Rex moveri ad impediendam executionem illius (vtpotè quod præiudicasset iuri suo nominandi Commissarium Generalem) sequitur, quod aliud sit Breve citatum à nobis, ab illo, de quo dicit *Allegans*, quamvis nobiscum conveniat in die Datæ Brevis. Nec Rex vllo modo impedivisset publicationem huius Brevis à nobis citati, quia puram observantiam Constitutionum Ordinis, quæ erant in vso pacifico iam tunc, continet; quas immutare nunquam in mentem Regi venit; & de facto impeditum Breve hoc non fuit, ex eo, quòd contenta in eo inserta fuerint Constitutionibus Toletanis 1645. quod quidem ita non fuisset, dum litteræ Regiæ impeditivæ publicationis Brevis, quod dicitur obtentum à Merinero, fuere expeditæ 31. Augusti

(191) *Statuimus, & ordinamus, vt institutio Commissariorum Generalium pro Indiarum huiusmodi Provincijs præfatis* (Nouæ Hispaniæ, & Peruanis) *ad solum eiusdem Ordinis Ministrum Generalem pertineat: ijdemque Commissarij Generales Indiarum huiusmodi in suis officijs durent, donec alij ad easdem Indiarum partes accedant; ac demum Commissario Generali in eiusdem Regis Catholici Curia existenti tanquam à dicti Ordinis Ministro Generali per litteras patentes expressas pro Indijs Delegato, ne ad easdem partes Commissarios, aut Vicarios, qui Commissarios inibi existentes visitent, mittere nullatenus audeat, seù præsumat, cum ad solos ad id ab eodem Ministro Generali mittendos spectet: authoritate, & tenore prædictis interdicimus, & prohibemus.* Vrban. VIII. exponi nobis. Dat. Romæ 17. Iulij 1643. apud Orb. Seraph. tom. 1. lib. 3. cap. 17. num. 6. fol. 297. col. 1.

(192) *Tenia entendido, (Rex) que el Padre General Fray Iuan Merinero en 17. de Iulio de 643 auia sacado Breve, declarando, que la nominacion del Comissario General de las Indias, tocava absolutamente al Ministro General, &c.* Memorial, fol. 11.

gusti 1644. vt dicit *Allegans*, hoc est: per annum antè factas prædictas Constitutiones.

§. V.

SVMMARIVM.

49. *Alia asserta ab* Allegante.

50. *Admissis propositis non sequitur adhuc eius intentum.*

Assumptum Allegantis *ostenditur falsum.*

Asserenti incumbit onus probandi.

Allegans *sibi contradicit.*

Testi vario non creditur.

Et maximè, si est aliundè suspectus.

51. *Probatur adhuc, nullum pactum fuisse factum cum Rege.*

Allegans *dicit, causam onerosam Regi fuisse graues expensas.*

Confutatur adducta ratio.

Probatur ex Statutis Commissarium Generalem Indiarum fuisse institutum ad vitandas expensas.

Rex non habet ius patronatus Commissariatus Indiarum ex pacto, & causa onerosa Regis.

52. *Concessis dictis* Allegantis, *adhuc non sequitur intentum.*

Prælati à solis Ecclesiasticis sunt eligendi.

Rex habet Patronatum omnium Beneficiorum existentium in Indijs.

Generalis solus non potest sine consensu Capituli aliquod perpetuum statuere.

Assensus potest aliquando dari post factum.

Rex est Patronus Commissariatus Generalis Indiarum ex concessione Religionis.

In concessione generali non veniunt specialia, quæ verisimiliter non fuissent concessa.

Legato Apostolico in Commissione generali non committitur causa fidei.

Vicarijs Generalibus Episcoporum non est concessa facultas conferendi beneficia.

Sub

Sub obligatione generali pignoratitia multa specialia non veniunt.

Generalitas verborum quomodo restringenda.

Propositiones prætensæ ab Allegante *sequi ex generali concessione Regij patronatus.*

53. *Euasio confutata.*

49 Quinto dicit: quod nec Generalis, nec Capitulum Generale potest aliquid Statuere circa officium Commissarij Generalis Indiarum, quia hoc est de Regio Patronatu; & fuit ius acquisitum Regi ex concordia, & pacto inito inter Religionem, & Regem; & est irrevocabile, quia fuit ex titulo oneroso, & confirmatum à Papa. (193) Et hoc sparsim per totum libellum exagerat, vt solidissimum fundamentum totius suæ prætensionis.

50 Ad hæc dico: quod adhuc admisso *Allegantis* assumpto, puta: quod nec Minister Generalis, neque Capitulum posit Statuere circa Officium Commissarij Generalis Indiarum; non sequitur consequentia ipsius intenta: *Ergo Commissarius Generalis Indiarum habet iurisdictionem privatiuè ad Generalem Ministrum.* Et ratio est: quia ex primæva institutione ipsius in toties replicato Capitulo Toletano; ille est subiectus Ministro Generali *in omnibus, & per omnia*, iuxta vim harum clausularum, quam supra expendimus; ergo licet de novo circa ipsum nihil posit Statui, tamen ex iam Statutis in sua fundatione non habet iurisdictionem *privativè* quoad Ministrum Generalem. Assumptum tamen falsum est; neque enim vlla concordia, conventio, transactio, aut pactum tituló neque gratuito, neque oneroso inter Regem Catholicum, & Religionem, in quo concernatur intentum *Allegantis*, aliquo modo factum est. Hic agitur de quæstione non iuris, sed facti; *Alleganti* proindè incumbit onus probandi. (194) Supra negavimus pactum vllum factum fuisse, & quantum licet probare negatiuam vagam, probavimus. *Allegans* asserit factum fuisse modo pactum, modo concordiam, & semper ex titulo oneroso; hoc supponit, & recitat, non tamen aliquo modo probat, aut ex Bullis, aut ex Statutis, aut ex auctoribus; neque ci-

(193) Memorial, fol. 4. à tergo, & fol. 18. à terg. fol. 19 fol. 20. fol. 30. à tergo, fol. 31. à tergo, fol. 32. & 33. à tergo, fol. 37. 39. & alibi passim.

(194) L. Qui accusare, C. de edenda. l. Frustra, l. Auctor, C. de probat. l. 2. ff. eodem tit. institut. de empt. & vend. *Asserens contractum fuisse factum, probare debet.* Argum. leg. cum eum, C. de commod. l. ne creditor, ff. de pignorat. act. I. B. Nicol. reg. iur. tom. 2. fol. mihi 198. col. 1.

citat instrumentum conventionis, concordiæ, aut pacti; neque distinguit articulos, super quibus pactum sit; neque qualis obligatio vigore talis pacti incumbat Regi Catholico; sed dicit in genere factum esse pactum, & ex titulo oneroso acquisitum ius Regi circa Commissarium Generalem Indiarum; sed quale fuerit hoc onus, seù causa onerosa, quæ est fundamentum possessorij irrevocabilis, vt ipse ait, & probare contendit Doctoribus per eum citatis, (195) nullo modo explicat. Credamus autem illi, si credendum se ostendit. Interrogemus eum: quo tempore fuerit factum pactum inter Catholicum Regem, & Religionem? Respondet: factum fuisse in principio erectionis officij Commissarij Generalis; & hoc dicit in multis locis. (196) Aliter dicit in alijs locis, asserendo firmiter pactum prædictum factum fuisse in Congregatione Victoriæ anno 1648. (197) Modo dicit pactum fuisse in Capitulo Toletano; modo in Congregatione Victoriæ. Nunc dicit factum esse cum Philippo Secundo; nunc dicit cum Quarto. Prius asserit fuisse 1583. postea firmat anno 1645. Credendum ne ergo est illi? Minimè; nam testi vario fides non est danda; (198) & licèt tempus non sit substantiale facti, & diversitas in non substantialibus non faciat testem varium, & per hoc non minimè credendum; tamen hoc fallit, si testis sit aliundè suspectus, vt dicunt Doctores. (199) *Allegans* autem suspectissimus est; tum quia testificatur in causa, in qua habet interesse; tum quia falsus in multis, imò in plerisque assertis demonstratus est supra; proindè licèt etiam tempus, quo dicitur pactum fuisse factum, esset quid accidentale respectu facti ipsius, (quod tamen non admitto) adhuc tamen *Allegantis*, vtpotè suspecto, non credendum est; & cum non probetur, nisi per dictum ipsius tale pactum assertum, sequitur, quòd nullo modo, nec probatum est, nec probabitur.

51 Et profectò, si pactum dicit toties factum fuisse ex causa onerosa, itavt vigore talis pacti aliquod onus Rex sibi imposuerit, causa onerosa debet concernere officium Commissarij Generalis, aut saltem

(195) Memorial, fol. 19. à tergo in marg. n. (88.)

(196) Memorial, fol. 4. tergo. *Por antes se erigido este oficio por ley de la Religion, y concordia que se tomò con ella; confirmado todo con autoridad Apostolica, à instancia del señor Rey D. Felipe Segundo*, fol. 19. à tergo. *La institucion, y ereccion de este oficio se hizo á instancia del señor Rey Felipe Segundo*, & fol. 31. 33. 37. & 39.

(197) Memorial, fol. 12. à tergo. *En fuerça de este pacto, que se haze à su Magestad*. Et loquitur de Congregatione Victoriæ, fol. 20. *Y como quiera, Señor, que la misma Religion lo tenga determinado assi à instancia del señor Rey Felipe Quarto, en la Congregacion General de Victoria del año de 648. que le queda que dudar a esta proposicion, quando assi se compromete, y la jurisdicion concedida por convencion, pacto, y concordia, no se puede revocar.*

(198) L. Qui falsò, vel variè, ff. de testib. arg. cap. Cum Ecclesia de caus. poss. Bossi. de testib. tit. de tortur. n. 19. & 21. Bertazz. cons. 153. n. 1. lib. 1. Farinac. q. 66. n. 12 & 98 & q. 79. n. 10. Guarrin. defens. Reor. 19. cap. 2. num. 1. quos dat Sgroi lux Prælat. p. 4. cap. 11. n. 1.

(199) Gloss. in cap. Cum causa in v. Tempore, & in Auth. §. Licet de test. Natt. cons. 279. n. 6. Alex. cons. 154. col. 2. vol. 5. Marss. singul. 6 8. Cyrill. Summ. crimin. Rubr. 19. tit. de quæst. §. 3. n. 1.

onus

onus assumptum à Rege fuisse contemplatione officij prædicti, itavt Religio ex parte sui obligata remaneret cedere Regi totum ius, quod habet in creatione, officio, persona, & quibuscumque spectantibus ad dictũ Commissarium Generalem; & Rex vigore pacti remaneret obligatus ad illud onus. Videamus nunc, cuinam oneri se obligavit Rex. Dicit *Allegans* (200) citando Statutum Toletanum 1583 fuisse graves expensas factas à Rege Philippo Secundo, & contemplatione illarum erectum fuisse officium Commissarij Generalis, & eius electionem Regi concessam ex pacto; sed hoc falsissimum est, nec in illis Constitutionibus, neque per somnium legitur, quod asserit *Allegans*. Videatur Orbis Seraphicus, in quo dantur per extensum (201) Constitutiones. Dicitur ibi: quod, quia Indiarum Fratres non possint gubernari sine continuo recursu Fratrum ad Hispanias, & hoc nequit fieri sine magnis expensis Regis, (qui nempè ex ærario suo viaticum illis facit) ideo necessarium visum est Capitulo, vnum residentem in Curia cum assensu Regis creare. Ergò creatio Commissarij facta est ad vitanda itinera Fratrum recurrentium ab Indijs ad Hispanias, & evadendas graves expensas Regis in necessarijs recursibus Fratrum. Quà fronte ergo asseritur causam onerosam fuisse expensas Regis, ob quam patronatum habeat in tali officio? Expensas quidem graves facit Rex, & facit ex concordia habita cum Religione, & concordia fuit in hoc, quod Religio non mittat maiorem numerum Fratrum ad Indias, quam fuerit à Senatu Indiarum determinatus, (202) tamen hæc concordia non tangit Commissarium Indiarum nec expensæ fiunt contemplatione huius; imò iste institutus est ad tollendum à Rege onus expensarum. Quomodò ergo iste institutus est cum causa onerosa Regi? Quod si dicatur: quod causa onerosa Regis in institutione Commissarij Indiarum est, quod Rex obligauit se ad manutenendum expensis sui ærarij Commissarium, provt testatur Miranda. (203) Respondeo: hoc falsum esse; tùm quia in litteris patentibus Generalis, quæ citantur à Miranda, nullo modo habetur,

(200) *Esto se concediò ex causa, como lo assienta el Capitulo de las Constituciones de la Orden, ibi: Aviendo para este efecto hecho su Magestad Catholica grandes gastos, y auer intervenido concordia entre su Magestad Catholica, y la Orden.* Memorial, fol. 18. à tergo, & fol. 19. à tergo. *Basta que la ereccion hecha de este oficio à beneplacito de los Señores Reyes, y para que residiessen en su Corte, se huviesse hecho en contemplacion à los grandes gastos, que la Magestad del Señor Rey Filipe II. hizo, y refiere la misma Constitucion.*

(201) Orb. Seraph. tom. 3. fol. 696. col. 1. *Cum Fratres apud Indos consistentes gubernari commodè non possint sine continuo recurso ad Provincias Hispaniarum, & sine magnis expensis à Catholico Rege factis, & experimento deprehensum sit, non posse Indiarum negotia commodè expedire, nisi in Curia Regis Catholici resideat vnus probatus Religiosus, qui habeat vicès Ministri Generalis; hinc etiam necessarium visum fuit, vt vnus Commissarius Generalis Indiarum à R. P. Generali ex assensu, & beneplacito eiusdem Regis Catholici præficiendus in eius Curia resideat.*

(202) Cap. Tolet. 1583. Orb. Seraph. tom. 3. fol. 657. col. 1. *Cum Regia, & Catholica Maiestas expensas faciat omnibus Religiosis, qui ex Hispania ad Indos proficiscuntur, præcipitur, vt nunquam Fratres illuc mittantur, nisi cum à Regio Senatu Indiarum fuerit postulatum, nec maior numerus Fratrum ad eosdem Indos mittantur, quam sit ab eosdem Senatu consignatus.*

(203) Mirand. tom. 2. q. 11. §. *Postea Commissarius Generalis Indiarum cum plenitudine potestatis, qui in ipsius Regis Curia resideret, eius expensis alendus, vt constat ex litteris patentibus, eidem directis à prædicto Generali Ministro.*

tur, quod talis Commissarius esset alendus expensis Regijs, vt patet ex illarum exemplari, quod dat Gubernatis (204) in suo Orbe Seraphico, & *Allegans* ipse recitat; tum quia, si Rex pro manutentione Commissarij Generalis Indiarum, & familiæ suæ expensas facit, hoc non est ex vigore alicuius pacti, quod fecerit cum Religione, ad quod ex iustitia obligetur, sed hoc est ex regali generosa, & charitatiua ipsius munificentia, quod & ipse *Allegans* ingenuè confitetur. (205) Habet quidem Catholicus Rex iure optimo Patronatum Ecclesiarum omnium secularium, & Regularium, & beneficiorum quorumcunque in vniverso Orbe Novo, & hoc habet titulo oneroso; nempè cum obligatione deputandi, & mittendi Ministros idoneos ad conversionem infidelium, & ampliationem fidei, prout, & Constitutionibus Iulij Tertij, Adriani VI. & aliorum Pontificum, & multis Doctoribus expendit *Allegans*, (206) & pars huius oneris sunt expensæ, quas facit in viatico pro itinere ad Indias, & ab Indijs ad Hispanias Fratrum Minorum, qui primi omnium Regularium fidem ibi inuexerunt, & præ cæteris adlaborant. Ad minuendas istas expensas institutus est Commissarius Indiarum, vt supra dictum, & probatum est; ergò non habet vllo modo Patronatum eius ex titulo oneroso, neque ex pacto, sed mera liberalitate Religionis, quæ grata erga Catholicam Coronam voluit concedere Regi ius nominandi Commissarium Generalem Indiarum in correspondentiam gratiarum, quas omni tempore Religioni Catholica Monarchia impartivit. Ergo de primo ad vltimum falsum est fundamentum *Allegantis*, quod Rex habeat Patronatum absolutum in officio Commissarij Generalis Indiarum ex pacto, & causa onerosa.

52 Sed ad magis convincendum *Allegantem*, dato quod Rex esset Patronus prædicti officij, vt præfertur, & prætenditur ab *Allegante*, non tamen sequeretur *iurisdictio Commissarij Generalis Indiarum privatiua quoad Generalem*, & tot consequentiæ ineptæ, & prætensiones scandalosæ, quas ex hoc solo, & vnico principio deducere attentat. Quia Patronatus Regis in

no-

(204) Gubernat. Orb. Seraph. tom. 1. lib. 3. cap. 17. Memorial, fol. 7. in marg. n. 41.

(205) *El Comissario General de Indias tiene por V. Magestad señalados gages, que se le dàn, merè æleemosynaliter.* Memorial, fol. 15.

(206) Memorial, fol. 5. n. 31.

nominando Commissarium Generalem non competebat ei de iure communi, quando quidem Prælati habentes iurisdictionem, à solis personis Ecclesiasticis superioribus, aut subditis instituuntur, creantur, postulantur, sivè eliguntur, exclusis laicis. (207) Neque competebat de iure privilegiato, quia licèt Sedes Apostolica constituerit Regem Patronum Eclesiarum secularium, & Regularium, cum iure præsentandi ad Cathedrales, & alias Ecclesiasticas Dignitates, & Beneficia, tamen hoc fuit pro Provincijs, locis, & Civitatibus noui Orbis, vt sonat Bulla Iulij Secundi, in qua Regi conceditur tale privilegium, quam citat *Allegans* ipse; (208) officium autem Commissarij Generalis Indiarum non est in Indijs, sed extra eas, & neque reductivè spectat ad eas, licet dicatur Commissarius Indiarum; quia negotia spectantia ad Indias, & conversionem Infidelium, quæ erant terminanda in Curia Catholica, agitabantur per Fratres euntes, & redeuntes ab Indijs ad Hispanias, & si institutus est Commissarius, hoc fuit non ob negotia Indiarum, quæ aliter terminabantur, sed pure ad vitandas expensas Regis, vt supra dictum est; ergo neque de iure privilegiato competebat Regi nominatio. Quod si Rex iure proprio hoc potuisset, quando scripsit ad Generalem de Capite Fontium, nominasset illi Religiosum, quem voluisset, vt esset Commissarius; sed non fecit sic, sed institit apud Generalem, vt crearet Commissarium, & Generalis ex libera sui ipsius dispositione, & humanitate erga Regem, concessit illi nominationem, erecto litteris patentibus suis officio Commissarij, & facta Regi potestate nominandi quem vellet; & hoc non iure quidem perpetuo; hoc enim non poterat solus Generalis, (209) sed pro illo tunc; datis nempè patentibus absque nomine, vt scribit Gubernatis; (210) & Commissarius ille primus taliter institutus, fuit merè delegatus Ministri Generalis, cuius beneficio iurisdictionem habebat, & non à lege. Postea institutum fuit officium prædictum iure statutario, & assignata illi iurisdictio; concedenda tamen à Generali, & à Religione concessum fuit Regi non

(207) Cap. 1. cap. Massana de elect.

(208) Memorial, fol 7. à tergo in marg. n. 13. ex Solorçan. de iur. Indiar. tom. 2. lib. 3. cap. 2. n 10. dat. Bull. Iul. II. vbi sic. *Nullus in prædictis adquisitis, & alijs acquirendis insulis, & Locis [illegible] aris huiusmodi Indiarum, Ecclesias magnas, & locis Statui præfati Regis importantes, aliàs quam Ferdinandi Regis, & Ioannæ Reginæ, ac Regis Castellæ, & Legionis pro tempore existentis, construi, ædificari, & erigi facere possit, ac ius Patronatus, & præsentandi personas idoneas ad Ecclesiasticas, & Monasteria, ac Dignitates, & quæcumque alia Ecclesiastica Beneficia, & pia loca in dictis Insulis, & locis, &c.*

(209) Mirand. tom. 2. quæst. 10. art. 2 conclus. 1.

(210) Gubernat. Orb. Seraph. tom. 1. lib. 3. cap. 17. n. 2.

(211) *Necessarium esse visum fuit, vt vnus Commissarius Generalis Indiarum à R. P. Generali ex assensu, & beneplacito eiusdem Regis Catholici præficiendus in eius Curia residcat.* Stat. cap. Tolet. ann. 1583. Orb. Seraph. tom. 3. fol. 696. col. 1. v. Cum Fratres.

(212) Abb. q. 5. col. 17. v. Aliorum iudicijs, & citat, cap. Per vestras, & ibi Io. Andr. de iure patr. §. Si verò eo. tit. Bart. in l. siquis mihi bona, ff. de acquir. hæred. & Innocent. in cap. 1. de reb. Eccles. non alien. in 6.

(213) Cap. in generali iunct. Gloss. 1. de Reg. iur. in 6. Alex. cons. 71. n. 4. vol. 4. Ruin. cons. 6. num. 7. lib. 3. Corn. cons. 89. n. 10 lib. 3. Dec. 532. n. 9. quos dat Roderic. tom. 2. q. 52. art. 2. Abb. in cap. 4. de pignor.

(214) Cap. Frater noster, iunct. Gloss. in v. Nostri 16. q. 1. cap. Quoties 24. q. 1.

(215) Text. in cap. Final de offic. Vic. lib. 6.

(216) L. 1. C. quæ res pignor. oblig. poss. l. obligatione generali, ff. de pignor. & hipothec. arg. l. Possessionem, C. commun. vtr. iud.

(217) Text. in cap. si Episcopus de pœnit. & remiss. lib. 6.

(218) Gloss. in cap. In Generali in v. In generali, v. Et nota de Reg. iur. in 6. & citat. cap. 2. de rescrip. in 6. cap. Si eo tempore, eo. tit. & lib. cap. Eum, cui, cap. Quamvis de Præben. cap. 1. de iur. iur. in 6. cap. Qui ad agendum de procurat.

quidem ius nominandi, sed quod Commissarius fieret *ex assensu, & beneplacito Catholici Regis*; (211) *assensus* autem, *& beneplacitum* non important strictò iure nominationem; etenim nominatio debet præcedere de necessitate electionem; *assensus* verò, *& beneplacitum* possunt æque bene dari post eam. (212) Neque alio modo disponit Constitutio Sixti V. confirmativa Statuti prædicti Toletani. Sequitur ergo, quod nominatio Regis non est, neque ex pacto, neque ex contractu, nequè ex titulo oneroso, sed ex mera condescendentia, & concessione sibi facta à Capitulo Generali Toletano; & hoc solo titulo Rex est Patronus officij Commissarij Generalis Indiarum. His ergo præmissis, videamus an ista concessio importet illas omnes consequentias, quas ex fundamento Regij Patronatus deducit *Allegans*, & liquido apparebit, quod non. Etenim exploratissimi iuris est, quod in generali concessione, commissione, obligatione, sivè promissione, non veniunt ea, quæ verosimiliter in specie non esset quis concessurus, commissurus, obligaturus, sivè promissurus; (213) & ita quamvis legato suo Papa generaliter committit causas Provinciæ, non tamen illi commissa censetur causa fidei, (214) quæ est de iure speciali Papæ; & ideo licèt Vicarijs Espiscoporum concessa videatur generaliter iurisdictio Espiscopi, non tamen collatio Beneficiorum illi censetur concessa, (215) quia est Episcopo reservata; & sic, si quis obligatione generali pignoris vinculavit omnia sua, non veniunt tamen sub illa vxor, filij, aut alumni, (216) vestes propriæ, instrumenta artis, & similia, quæ quis verosimiliter in specie non obligasset. Similiter concessio facta ab Episcopo generaliter alicui, de sibi eligendo in confessarium Sacerdote, à quo absolvatur à peccatis omnibus, non tamen comprehendit casus, quos sibi Episcopus specialiter reservat, & quos Episcopus verosimiliter non esset in specie concessurus. (217) Et regulariter ex isto principio restringenda venit verborum generalitas in legibus, Statutis, contractibus, & similibus, vt pluribus iuribus citatis ostendit Gloss. (218) quædam communiter re-

cepta;

cepta; neque enim lex, aut communis, aut municipalis, neque tenor contractus intelligi potest, nisi iuxta mentem Legislatoris, vel contrahentis, qui licet generali verbo se obligaverit, generalitas tamen non extenditur ad ea, ad quæ verosimiliter in specie non se obligasset. In casu ergo nostro prætendit *Allegans* Religionem in Capitulo Toletano Generalem Patronatum ex pacto, concordia, conventione (quoquomodo sit) respectu Commissarij Generalis Indiarum fuisse concessam Regi Catholico, & ex vi Legis Generalem Ministrum teneri committere generaliter illi vices suas cum plenitudine potestatis. Quæramus nunc: an Religio capitulariter congregata, sic generalem Patronatum concedens, verosimiliter concessisset in specie ea, quæ vigore huius generalitatis prætendit *Allegans*; & sunt.

1. Quod Commissarius Generalis Indiarum haberet iurisdictionem *privatiuè* quoad Generalem. (219)

2. Quod haberet Territorium diuisum *privatiuè* ad Generalem Ministrum. (220)

3. Quod in Indijs nulla iurisdictio remaneret Ministro Generali. (221)

4. Quod CommissariusGeneralis Indiarum, non egeret concessione, aut renovatione patentium à Ministro Generali facienda. (222)

5. Quod esset Iudex Supremus pro Religione nostra in Indijs. (223)

6. Quod ad ipsum spectaret deputatio, & correctio Commissariorum Generalium Peruuani, & Nouæ Hispaniæ. (224)

7. Quod ad eum spectat creare Vice-Commissarium Generalem Hispalensem. (225)

8. Quod possit habere in Curia Romana Procuratores independenter à Ministro Generali. (226) Vltra multas alias audaces, & scandalosas prætensiones, quas exscribere, & piget, & pudet. Est ne verisimile, quod Minister Generalis primò, vel Religio tota post, hæc concessisset? Minimè; quia nec est verisimile voluisse, aut Generalem spoliare se, aut Religionem

nem

(219) Memorial, fol. 16. à tergo, fol. 18. fol. 33. à tergo, fol. 30.

(220) Memorial, fol. 33. à tergo.

(221) Memorial, fol. 32. à tergo, fol. 37.

(222) Memorial, fol. 15.

(223) Memorial, fol. 21. à tergo.

(224) Memorial, fol. 17. à tergo.

(225) Memorial, fol. 53. & inde.

(226) Memorial, fol. 30. & inde.

nem voluisse adimere Generali iurisdictionem suam, quam in vniuerso Ordine habet, cum sit, & vocetur, tum in Regula, tum in Constitutione Leonina (227) *Generalis totius Ordinis Minorum*. Sed dato, quod voluissent hoc, minimè potuissent, quia vt supra, num. 4. & 21. demonstratum est, vnus est Generalis ex vi Regulæ in vniuerso Ordine, à cuius omnimoda obedientia, nec Generalis, nec Religio tota potest eximere Religiosum; quod si, vt prætendit, Commissarius Generalis haberet in Indijs iurisdictionem *privativè* ad Generalem, ipse, & Provinciæ sibi subiectæ, & Fratres omnes illarum partium non essent membra Ordinis, nec spectarent ad eius vnitatem; & esset Religio divisa; quæ omnia nec Generalis, nec tota Religio facere potest. Vndè concessa quidem fuit Commissario Generali plenitudo potestatis, & Vices-Generalis Ministri ad ministrandum in Indijs, quæ ad eum spectant; minimè tamen veniunt supradicta, quæ quando potuissent fieri, specialiter debuissent exprimi; sed cum minimè potuerint fieri, neque facta fuisse vllo modo potest concedi.

(227) Leo X. Constit. Ite, & vos, §. Quia in primis 4. col.

53 Nec valet replicare contra supradicta, quod dicit *Allegans*; puta: non tolli, quod Commissarius Indiarum cum tanta potestate, adhuc sit subditus Ministro Generali, cui se profitetur obedire. (228) Etenim ista est protestatio contra factum; est verbalis obedientia, & realis contumacia; & Minister Generalis potest dicere cum Propheta: *Hic labijs me honorat, cor autem eius longè est à me.* (229) Quomodo potest stare obedientia Commissarij Generalis Indiarum erga Ministrum Generalem cum hoc, quod *ille est Prælatus privativè quoad Generalem*; quod iste diviserit cum alio territorium; quod Ministro Generali nihil remanserit in Indijs; & quod in Indijs non possit propriè vocari Minister Generalis. (230) Ipse velit, nolit est subditus Ministro Generali *in omnibus, & per omnia*, vt dicitur in Constitutionibus, quibus eius officium fundatum est, & quid importent clausulæ illæ iam supra explicavimus num. 22. & obedientia, quam debet Ministro Generali, non restringitur ad esse Religiosi

(228) Memorial, fol. 10. à tergo, fol. 31. à terg. fol. 32. à tergo.

(229) Matth. cap. 14. v. 8.

(230) Memorial, fol. 37. *Con que resulta claro, que como General no le quedô autoriaad en las Indias.* Et fol. eodem à tergo. *El P. General propriamente no se puede llamar General en Indias, porque le quitò la Orden esta autoridad.*

particularis, ſed comprehendit illum, & actus omnes, qui ab eo fiunt tanquam Prælato, vt paritèr probavimus num. eodem, & ad hanc obligatur ex vi voti eſſentialis Regulæ, vt dictum eſt num. 20. & Capitulum Generale illum nec eximit, nec eximere potuit à tali obligatione per regulam importata. Quomodo autem Capitulum Generale privauit poteſtate Miniſtrum Generalem reſpectu Indiarum, creando Commiſſarium Generalem cum plenitudine poteſtatis? In illis eiſdem Conſtitutionibus nonne habetur, quod Miniſter Generalis eligat Commiſſarios Generales degentes in Indijs, & quod omnes Religioſi ibi habitantes ſub pœna excommunicationis debeant illis obedirè tanquam legitimis Prælatis à Generali Miniſtro miſſis? (231) Qua fronte ergo audet *Allegans* Commiſſario Generali Indiarum eorum electionem vendicare? Nonne in eiſdem Conſtitutionibus habetur, quod Vice-Commiſſarius Hiſpalenſis inſtituatur à Generali, & tunc ſolum poſsit elegi à Commiſſario Indiarum, quando Miniſter Generalis erit abſens ab Hiſpanijs? (232) Quomodo ergo illius inſtitutionem regulariter, & abſolutè prætendit Commiſſarius Generalis Indiarum *privativè* quoad Miniſtrum Generalem? Nonne in toties citatis Conſtitutionibus iniungitur, vt à Miniſtro, aut à Generali Commiſſario Indiarum inſtituantur Commiſſarij, qui per Provincias diſcurrant ad conquirendos Fratres, qui velint ad Indias pergere? (233) Quomodo ergò Commiſſarius Indiarum, ſibi audet vindicare iuriſdictionem omnimodam, & plenam, in Fratres, & negotia ſivè formaliter, ſivè reductivè ad Indias ſpectantia *privatiuè* ad Generalem? Capitulum Generale, per quod prætenditur facta Regi conceſsio generalis Patronatus circa officium illius, hæc omnia eodem contextu habet; quomodo ergo aſſeri poterit ex illa conceſsione generali adempta Miniſtro Generali prædicta, quæ ſunt ibi ſancita? Quomodo veriſimile eſt voluiſſe concedere in generali conceſsione ſpecialia, quæ militant contra inibi ſpecialiter, & expreſsè ordinata?

(231) *Quotquot huiuſmodi Commiſſarijs tanquam legitimis Prælatis à Generali Miniſtro miſsis minimè paruerint; hi omnes excommunicationis pœnæ obnoxij: præſenti Statuto declarantur.* Cap. Tolet. ann. 1583. Orb. Seraph. tom. 3. fol. 698. col. 1. verſ. Ne forrè.

(232) *Qui tamen Vice Commiſſarius* (Hiſpalenſis) *abſente Generali Miniſtro à præfato Generali Indiarum Commiſſario eligendus, inſtituenduſque venerit.* Cap. Tolet. cit. Orb. Seraph. loc. cit. fol. 697. col. init.

(233) *Cùm fuerint mittendi Fratres ad partes Indiarum, Miniſter Generalis, aut eius Commiſſarius Generalis, qui in Curia reſidet, eliget Commiſſarios particulares, qui per Provincias diſcurrant, exhortantes Fratres ad eam laudabilem profectionem.* Cap. Tolet. cit. Orb. Seraph. l. prox. cit. v. Et cum ſecundum.

§. VI.

SVMMARIVM.

54. *Proponuntur quinque dicta* Allegantis.

55. *Respondetur ad eius asserta.*

Falsus in vno, falsus reputatur in omnibus.

Leges Statutariæ, antequam ferantur, debent discuti, & debent publicari.

Et, vt obligent, debent esse receptæ.

56. *Quod fit ex necessitate, non potest extendi.*

57. *Respondetur ad quintum dictum* Allegantis.

Non est iudicandum exemplis, sed legibus.

54 Nec valeret adducere contra hæc, quod dicit *Allegans.*

1. Quod respectu Commissariorum Generalium degentium in Indijs, facultas creandi illos data Ministro Generali, in Capitulo Toletano, fuerit illi adempta ex contractu oneroso inito cum Rege in Congregatione Victoriæ. (234)

2. Quod facultas hæc fuerit primò data Commissario Generali Indiarum in primis patentibus Generalis de Capite Fontium: quod fuerit eidem concessa in prima Constitutione Capituli Generalis anno 1583. (235)

3. Quod, si Minister Generalis illos deputat, hoc non est *privatiuè*, sed cum authoritate Commissarij Generalis, qui dat illis litteras patentes, in quibus ipsorum iurisdictionem moderatur, & sine patentibus, & approbatione ipsius, Rex nunquam illos permisit. (236)

4. Quod, licet Generali per Constitutiones Toletanas detur institutio talium Commissariorum, non poterat talis ordinatio fieri, quia Religio ex causa onerosa fecerat prius pactum cum Rege de danda Commissario Generali Indiarum plenitudine potestatis; nec poterat Religio ab illo recedere sine consensu Regis. (237)

5. Quod ex duabus, vel tribus litteris Regijs, quas recenset, fol. 38. à tergo, fol. 40. & ex Solorçano refert,

(234) *Se quitò esta autoridad, y jurisdicion à los Padres Generales en la Congregacion de Victoria del año de 48. à instancia, y por contracto oneroso hecho con V. Magestad.* Memor. fol. 37. à tergo.

(235) *Esta autoridad se concediò al Comissario General, assi en la primera patente, como en la primera Constitucion del Capitulo General del año 1583.* Memorial, loc. prox. cit.

(236) *Podriase replicar, que* (Minister Generalis) *embia Comissarios Generales à las Indias; y à esto se responde con brevedad: si lo haze, no es privatiuè, sino con la autoridad del Comissario General de Indias, en tanto grado, que este le declara, y instituye Comissario General, y le comunica sus vezes, coharta, limita, ò quita, como el Padre Ministro General, y sin esta patente del Comissario General, V. Magestad no lo ha permitido nunca.* Memorial, fol. 36.

(237) Memor. fol. 39.

fert, fol. 41. à tergo, constat Commissarios Generales Indiarum deputasse Commissarios Generales degentes in Indijs.

55 Respondetur enim ad singula. Quoad primum: supra num. 42. probavimus, falsum omninò esse Constitutionem Capituli Toletani fuisse revocatam in Congregatione Victoriæ. Pariter demonstravimus falsum esse, nec tunc, nec vnquam Religionem fecisse pactum cum Rege, nec titulo gratuito, neque oneroso, num. 43. & seqq. & num. 50. & seqq. vnde ruit primum illius assertum. Quoad secundum: falsissimum omninò esse, quod in Constitutionibus Toletanis fuerit data illi facultas creandi Commissarios Generales Indiarum, ibi degentes, & hoc patet ex eisdem Constitutionibus, in quibus nec verbum habetur de hoc. Et, licet ibi data sit generaliter plenaria potestas in Indis, sub hac generali concessione non venit talis deputatio; quæ ex eisdem Constitutionibus Ministro Generali reservata fuit; nec potuit venire, vt supra probavimus num. 52. Et, si Generalis de Capite Fontium dedit facultatem in suis patentibus Commissario Generali Indiarum residenti in Curia Delegato suo, deputandi vnum, vel plures Commissarios, non intellexit de Commissarijs ibi eo officio residentibus, sed de alijs delegatis ex aliqua causa emergenti. Etenim Commissarij degentes ibi erant instituti à Ministro Generali quidem, sed tamen ex dispositione Statutorum Capituli Mantuani, & Aquilani, vt ait Gubernatis; (238) vnde non poterat Generalis aliter de illorum institutione disponere, quam sibi per Statuta fuerat iniunctum, neque successoribus præiudicare. Insuper in illis patentibus dabat Generalis Minister facultatem mittendi Commissarios ad Indias, quoties expedire visum fuisset Commissario Generali noviter instituto, (239) ad illas Provincias, quæ indiguissent eorum opera; ergo ibi loquitur de Commissarijs particularibus necessarijs in particularibus casibus, non de Commissarijs Generalibus perpetuò, regulariter, & ex Statutorum ordinatione ibi permanentibus; & ita falsum est assumptum *Allegantis*.

Quoad

(238) Gubernat. Orb. Seraph. tom. 1. cap. 18. fol. 291. num. 1. & 2.

(239) *Tibi etiam insuper harum tenore, quoties tibi expedire videbitur, liberam concedimus facultatem vnum, vel plures loco tui Comissarios cum eadem, vel delegata potestate substituendi, atque ad Provincias Indiarum, quæ illius, vel illorum indiguerint opera, mittendi* Gubernat. Orb. Seraph. tom. 1. cap. 17. num. 2. fol. 287.

Quoad tertium: cum agatur de negotio, quod consistit in facto, anceps sum, an concedam, an negem, quod nempè Commissarij Generales missi ad Indias à Ministro Generali litteras patentes debeant habere à Commissario Indiarum Generali, qui eas moderatur, vt sibi libet, & Rex absque talibus patentibus illos non admittit. Duplex fundamentum negandi habeo; vnum quidem generale: & est continua falsitas, quæ apparet in dictis suis, vt in contextu totius sui libelli passim deteximus; & sic, cum sit depræhensus falsus non in vno, sed in multis dictis, consonat iuri, (240) quod falsum habeatur id, quod nunc asserit. Aliud speciale est, quod ipse *Allegans* (241) ex Solorçano refert: quod orta in Indijs controversia inter Fr. Franciscum de Herrera Commissarium Generalem institutum à Ministro Generali in Provincijs Peruanis, & Ioannem Quixadam, alium Commissarium deputatum à Commissario Generali Indiarum, super valididitate electionis ipsorum, quamvis Patres graves illarum Provinciarum starent pro primo, causa tamen adiudicata fuit in favorem secundi à Consilio Regali Indiarum. Ex hoc ergo sic aio. Si verum est, quod Commissarij euntes ad Indias debent habere patentes à Commissario Generali Indiarum, & sine istis Rex nunquam eos permisit; & quomodo Pater Herrera iuit ad Indias Commissarius deputatus à Generali? Vel ergo habuit patentes à Commissario Generali Indiarum, vel non. Si sic: quomodo ergo inter ipsum, & P. Quixadam orta est lis super validitate institutionis? Si non: ergo falsum est, quod Commissarius Generalis Indiarum det patentes, & sine istis Rex ire Commissarios non permittat. Quidquid autem sit circa factum; non sequitur tamen ex illo, quod Minister Generalis mittat eos ex authoritate Commissarij Generalis; nec quod iste illis moderetur iurisdictionem. Quia si essent Commissarij ex authoritate Commissarij Generalis Indiarum, dicerentur, & essent Commissarij illius, non verò Ministri Generalis; sed in Constitutionibus Toletanis (242) expresse, & pluries habetur, quod sunt Commissarij Generales à Ministro

(240) Cap. Fraternitas, vbi Innoc. Holtien. Io. Andr. Zabarell. de Hæret. Bart. in l. cos, ff. ad l. Cornel. de fals. clar. q. 53. n. 9. Farinac. q. 67. n. 11. Sgroi. Lux Prælat. part. 4. cap. 10. num. 8.

(241) Memor. fol. 40. init.

(242) Cap. Tolet. 1583. Orb. Seraph. tom. 3. f. 658. col. 1. v. Et quia, &c. *Isti verò Commissarij erunt constituendi per Ministrum Generalem.* v. Ne forte. *Quotquot huiusmodi Commissarijs tanquam legitimis Prælatis à Generali Ministro missis minimè paruerint, &c.* V. *Commissarij Generales prædicti in Indijs Occidentalibus, & etiam Orientalibus à Ministro Generali missi, &c.*

nistro Generali instituti, & ab eo missi: ergo ab eo habent iurisdictionem. Nec Commissarius Indiarum potest illorum iurisdictionem moderare, quia per dispositionem Statutorum illis concessa declaratur plena authoritas (243) sibi data per patentes Ministri Generalis in ordine ad gubernationem Fratrum ibi commorantium. Quod si plena authoritas sibi datur à Generali Ministro ad præscriptum legis, quomodo poterit Commissarius Indiarum pro sui libito eam moderari; attento maximè eo, quod dicit *Allegans*: quod ex quo per Constitutionem Ordinis data est Commissario Generali Indiarum plenaria facultas, & plenitudo potestatis, non potest eam Minister Generalis in aliquo restringere? Si enim ratio hæc concludere debet pro se, debet etiam concludere contra se ad hominem; & ita falsum etiam detegitur, quod ipse authoritatem aliorum Commissariorum moderetur. Ad quartum negamus absolutè, vt supra negatum, & probatum est, quod vllum pactum factum sit à Religione cum Rege sub quovis titulo imaginabili, neque gratuito, neque oneroso; vnde liberum semper fuit Religioni de rigore iustitiæ disponere de persona, & officio Commissarij Generalis Indiarum, licèt ex æquitate, & convenientia, & gratitudine erga Catholicum Monarcham nihil vnquam statuerit circa hoc, nisi cum ipsius beneplacito, sicut cum hoc illius creationem à Ministro Generali faciendam ordinavit. Potuisset ergo innovare aliquod, sicut & modò potest, de prius Statutis circa prædictum Commissarium, non tamen aliquid innovauit, sed eodem contextu, quo eius creatio stabilita est, & illius officio decretæ prærogativæ, quæ ibi adnotantur, reservata est etiam Ministro Generali creatio aliorum Commissariorum. Quomodo ergò audet asserere potestatem sibi plenariè collatam fuisse ex post limitatam, si eodem tempore eius officium cum tali limitatione institutum fuit? Sapit autem ignominiosam calumniam, Religioso viro indignam, contra Religionem matrem suam, quod asserit (244) non potuisse (salva censura) Capitulum Generale coarctare plenitudinem potestatis datam

(243) *Ne fortè aliquis ignorantiam prætendere possit, præsenti Statuto declaratur, nihil penitus Commissarijs Generalibus ad Indias destinatis: ad plenam, sufficientemque authoritatem, qua subditis sibi Fratribus imperare possint, deesse, idquè ex patentibus litteris sibi datis, satis, superque constat.* Cap. Tolet. 1583. Orb. Seraph. loc. cit. v. Ne forte.

(244) *De que se infiere, que en perjuyzio de dicha concordia, y nombramiento, mandado hazer por el Capitulo de Comissario General con vezes de Ministro General, no se le debiò despues, ni pudo (salva censura) coartar, ni desmembrar la jurisdicion de este oficio, sin el consentimiento Regio.* Memor. fol. 39. medio.

Commissario Indiarum, in consulto Rege, cum quo pactum fuerat, sicut factum est in Capitulo Toletano, in quo Ministro Generali reservata est creatio Commissariorum residentium in Indijs; ac si integra Religio capitulariter congregata contra iustitiam peccaverit, Ius Regium lædendo, ac si clanculum, inscio Rege talem dispositionem firmaverit; ac si aliquod spatium temporis fuerit interiectum inter collationem plenariæ authoritatis Commissario Indiarum factam, & restrictionem illius ex creatione aliorum Commissariorum Ministro Generali reservata, & ideo ad sindicatum sub censoria virga citanda sit Religio. Impostura hæc est, quando quidem Constitutiones Toletanæ prius maturatæ, & digestæ eodem tempore fuere calculis totius Capituli post debitam discussionem (245) approbatæ, conclusæ, & publicatæ, vt vim legis haberent, (246) & vt tales ab omnibus receptæ; (247) & vsu practicatæ; & *Allegans* ipse nullum fundamentum magis legitimum suæ institutionis agnoscit, quàm Constitutiones prædictas, quæ verosimile omni titulo est, quod Regi etiam fuerint manifestatæ, & secundum eas Ministri Generales semper creaverunt absque vlla controversia Commissarios degentes in Indijs. Quomodò ergo, & qua sincera fide potest asserere tale mendacium contra veritatem, & contra propriæ Religionis honorem?

56 Nec *Vices Generalis*, nec *plenitudo potestatis* collata Commissario Generali Indiarum (quam ipse dicit, replicat, inculcat, exagerat, &, vt crambem centies recoctam in quolibet folio apponit) important illam vniversalitatem, quam sibi somniatur; ita vt per eam omnis facultas, quæ ex vi Regulæ in Ministro Generali est, in totum, & totaliter, & eodem modo in ipso sit, vnde defluere possit ad scandalosas illas prætensiones, quod eius iurisdictio sit *privatiuè* ad Generalem; quod hic nihil iuris habeat in Indijs, in quibus nec potest nominari Generalis; quod habeat secum territorium divisum, &c. Et alias similes, quæ non possunt sine censura perduellionis ab illo dici, aut sine stomacho à viris cordatis audiri. Etenim

(245) Text. in l. Humanum, C. de leg. & Constit. Princip.

(246) Auth. vt factæ nov. Const. coll. 5. Alex. cons. 39. n. 4. lib. 3. cons. 991. n. 4. Plot. in l. si quando, n. 859. C. vndè vi Grammatic. decis. 47. n. 9. Gabr. cons. 178. n. 54. lib. 2. D. Thom. 1. 2. q. 90. art. 4. Scot. in 4. dist. 3. q. 4. §. Quantum ad primum B. 4. & §. De secundo principal, v. Contra secundum, F. 8. Donat. rer. Regular. par. 1. tom. 1. tract. 1. q. 9. per tot.

(247) *Statuta enim vsu non recepta, non dicuntur Statuta, nec sunt servanda.* Text. in l. Derogatur, ff. de verb. signific. Mascard. de Gen. Stat. interpr. concl. 6 n. 82. Theod. Rub in sing. Rot. Rom. tom. 2. observ. 12. §. 5. Rota apud Caputaqu. d 281. & 282. p. 2. Sanch. Decal. lib. 3. cap. 14. n. 8 apud Conciol. ad Stat. Eugub. Præiud. n. 56. & 57.

nim exploratissimi iuris est, (248) quod illud, quod extra legem aliquando fit ex necessitate, præcisè fiat ad exigentiam necessitatis, ita vt, si hæc quoad aliquod cessat, ad hoc non potest extendi id, quod ex necessitate fuit inductum. Patet autem, quod ex dispositione Regulæ omnes Fratres totius Ordinis vnum tantum debent, & possunt habere Prælatum Generalem *seruum totius Fraternitatis*, (249) vt dicit Regula; sed quia ex nimia amplitudine Religionis per omnes Provincias antiqui Orbis extensæ non poterat commodè vnus Generalis omnibus Fratrum indigentijs sufficere, ex necessitate provisionis motus Leo X. (250) voluit, vt crearetur Commissarius Generalis familiæ, cui Minister Generalis *vices suas committeret*; & hic etiam habet *plenitudinem potestatis* in sua familia, quam habet Generalis in toto Ordine, vt dicunt Doctores; (251) tamen istæ *vices* Generalis Ministri commissæ Generali Commissario, sicut etiam *plenitudo potestatis* non tribuunt huic omne id, quod habet Minister Generalis; nonnulla enim habet per Constitutiones Ordinis, ad quæ non se extendit, *potestas*, quamvis *plena*, Commissarij Generalis, quæ notat Miranda, & Gubernatis. (252) Quamtumvis ergò habeat *plenitudinem potestatis*, tamen non est vniuersaliter, sed tantùm in ijs, ad quæ se extendit illa necessitas, ob quam ipse institutus fuit. Pro illis, & in illis habet tantam authoritatem, quantam Generalis Minister. Pro alijs, pro quibus necessitas non fuisset illum creandi, nullam habet potestatem. Et quæ sint illa, declarant Constitutiones Ordinis, quæ reservant hoc, aut illud à Ministro Generali præstandum. Hoc idem pro Commissario Generali Indiarum verificatur. Siquidem creatio illius facta est ob necessitatem, vt Statuta (253) profitentur; necessitas autem erat negotiorum Indorum frequentia, quæ à superiore Generali, qui perpetuò nequibat esse in Curia Regis Catholici, commodè expediri non poterant. Respectu ergo istorum *vices* Generalis Ministri sibi commissas, & *plenitudinem potestatis* habet Commissarius Generalis Indiarum, quia ad ea se extendit necessitas, ob quam fuit

(248) L. Senatus, ff. de offi. Præsid. l. 1. in fin. ff. de Feri. cap de Syracusanæ 28 dist. cap. Quoniam multæ 48. dist. cap. 2. de custo. Euchar. & ibi Card. Florent. not. 3. Petr. Anchar. not. 1. & in cap. 1. de Stat Monach. in 6. Host. in cap. Cum in iunctis, v. Ea propter in v. Necessitate de elect. Bart. in l 1. §. Nunciatio, v. Quandoque, ff. de oper. nov. nunciat. l. & Nicola Reg. iur. lib. 3. fol. 14. col. 2. v. Causa necessitatis.

(249) Regul. Minor. cap. 10.

(250) Leo X. Const. Ite & vos, §. Quo verò.

(251) Mirand. tom. 2. q. 11. art. 2. Sanctor. comment cap. 8. Stat 36. q. 2. fol. mihi 471. Roder. tom. 1. q. 51. art. 3. Gubernat. Orb. Seraph. tom. 1. lib. 3. cap. 15. n. 8. fol. 278. col. 2.

(252) Mirand. loc. cit. art. 7. conclus. vnic. Gubernat. loc. supra cit.

(253) *Cum Fratres apud Indos consistentes gubernari commodè non possint, &c. Hinc etiam necessarium esse visum fuit, vt vnus Commissarius Generalis Indiarum à R.mo P. Generali ex assensu, & beneplacito eiusdem Regis Catholici præficiendus in eius Curia resideat.* Cap. Tol. 1583. Orb. Seraph. tom. 3. pag. 696. col. 1.

fuit institutus, sed respectu aliorum minimè; & quare? Quia ab illis non est orta necessitas illum instituendi. Et quænam erunt illa? Illa, quæ per Constitutiones Ordinis reservantur Ministro Generali, sive alijs Officialibus Ordinis, vt creatio Commissariorum Generalium residentium in Indijs; creatio Vice-Commissarij Hispalensis; deputatio Procuratorum, sivè generalium, sivè specialium alicuius Provinciæ, sivè causæ in Curia Romana; & alia multa, quæ recenset Miranda. (254) Non potest ergo conquæri sibi limitatam fuisse respectu supradictorum *plenitudinem potestatis* sibi commissæ, quia ad illa ex primæva sui institutione minimè se extendere poterat.

(254) Mirand. tom. 2. q. 14. art. 2. concl. 6.

57 Ad quintum tandem dico: quod est vnum ex solitis commentis *Allegantis*; siquidem supra num. 55. convicimus ipsum mendacij ex aperta contradictione; dum in vno loco dicit, quod Rex nunquam permisit Commissarios degentes in Indijs, nisi cum patentibus Commissarij Generalis Indiarum: & in alio loco refert controversiam ortam inter Patrem Herreram, & Quixadam missos, illum à Generali, & hunc à Commissario. Quod ergo commentitiæ sint litteræ Regiæ, quas recenset, & historiæ, quas recitat ex Solorçano, optima ratione ductus, possem asserere, cum prodeant ex officina authoris damnati, cuius authoritates allegare, post condemnationem factam ab Apostolica Sede, nullus Catholicus, & multo minus Religiosus, & maximè Minorita speciali vinculo obedientiæ erga Romanum Pontificem obligatus, sine piaculo potest. Quidquid sit de veritate facti, hoc non cogit. Quando quidem non omne factum probat ius, sed tantum legitimè factum. Concedatur quod factum evenerit; non tamen sequitur, quod illud iure factum sit, quantumvis eminens fuerit persona, quæ fecit, & proindè non iudicandum est exemplis, sed legibus, vt sanxit Imperator. (255)

(255) L. 13. C. de sent. & inter loc. omn. Iudic. *Nemo Iudex, vel arbiter existimat, neque consultationes, quas non ritè iudicatas esse putaverit, sequendum, & multo magis sententias Emminentissimorum Præfectorum, vel aliorum Procerum. Non enim, siquid non benè dirimatur, hoc & in aliorum Iudicum vitium extendi oportet, cum non exemplis, sed legibus iudicandum sit*, l. 12. ff. de offic. Præsid. l. 1. C. de veter. iur. enucl. §. Fin. inst. de satisdat. cap. Dixit, iunct. Gloss. in v. Sumendum 14. q. 5. cap. Gloria, §. Multi, v. Neque verò 12. q. 2.

§. VII.

§. VII.

SVMMARIVM.

58. *Proponuntur asserta, & machinationes* Allegantis.
59. *Ostenditur, & reprimitur audax fallacia* Allegantis.
De Principe semper benè præsumendum.
P. Generalis Zarzosa commendatus.
Vice Commissarij Generalis Indiarum creatio variata.
Capitulum Generale habet ius derogandi antiquis, & cedendi noua Statuta.
Concesso etiam quod pactum cum Rege fuerit factum, falsum ostenditur secundum dictum Allegantis.
Respondetur ad tertium dictum Allegantis.
Rescripta contra leges, continentia errorem intolerabilem, non sunt adimplenda.
Arbitrium boni viri regulatur per rationem.
Officialis pendes ab arbitrio alterius, non potest removeri sine causa.
Qui habet in hoc arbitrium, quatuor debet considerare.

58 Prosequitur *Allegans* quærelas suas contra Ministrum Generalem ob remotionem cuiusdam Vice-Commissarij Generalis Indiarum, & has proponit, reproponit, atquè iterum proponit. (256) Represen-tat erectionem primam illius officij, postmodum suppresionem; indè novam erectionem; prærogativam talis officij; Statuta præfixa circa illius durationem; Decretum tandem Sacræ Congregationis; & Statutum nouum super illa fundatum, quo decernitur continuationem Vice-Commissarij prædicti pendere ab arbitrio Generalis Ministri. Exagerat meritum P. Melgarejo, qui fuit amotus absque causa, (provt dicit) & eius remotionem improbat, ac tandem gravidis, & crepantibus verbis audacter machinatur in fidelissimum P. Fr. Marcum Zarzosa, Ministrum Generalem, intendens notare eum de infidelitate, & falsitate, dum ait: (257) Constitutiones Capituli Generalis Romani anno 1688. esse ab ipso simulatas authoritate, quod earum impresio fuerit Romæ facta, &

(256) Memor. fol. 12. à terg. fol. 29. & fol. 53. & inde, & fol. 68 à tergo.

(257) *Pudiera, Señor, admirar por vltimo el Comissario General se bañen estas Constituciones con la autoridad de estàr impressas en Roma, siendo assi, que lo estàn en casa de Iuan Garcia Infançon, Impressor en esta Corte, como si. ste disimulo, y el ponerle la licencia del Maestro del Sacro Palacio, &c.* Memor. fol. 68. à tergo.

& subscriptione licentiæ Magistri Sacri Palatij; cum certum sit eas typis Matriti mandasse. Hæc circa factum; quoad ius dicit.

1. Quod non poterat Religio condere Statutum, per quod Vice-Commissarius prædictus, non servata duratione octennij, posset à moveri ad placitum Ministri Generalis, quia ad illud non intervenit Commissarius Indiarum, de cuius iure agebatur. (258)

2. Quod officium Vice-Commissarij est de reali Patronatu Regis, & non poterat tale Statutum condi sine beneplacito Regis. (259)

3. Quod decretum prædictum Sac. Congregationis est contra leges Canonicas, & Ecclesiasticas, ideo non debet executioni demandari. (260)

59 Ad ea, quæ sunt facti nil, aut parum mihi dicendum erat, cum pugnem pro iure Religionis, & Ministri Generalis. Ne tamen videamur consentire cavillosæ falsitati *Allegantis*: *Et ne sibi sapiens videatur* (vt SacraPagina consiliat) (261) *iuxta stultitiam suam respondendum est*. Certum ergo, ac notorium est, dicta Statuta fuisse facta in dicto Capitulo Generali; quod fatetur etiam *Allegans*, dum contendit illa impugnare, & Religionem non potuisse ea condere. Etiam notorium fuit Religioni dicta Statuta fuisse tunc Romæ primo impressa cum approbatione, & licentia Magistri Sacri Palatij, vt par erat, & vt semper fuit observatum. Item, scitum est, etiam apud parum versatos, quam plures libros Rom. ritè primò impressos, iterum, atque iterum, Matriti, & alibi cum iisdem licentijs recte fuisse typis mandatos. His ergo certis: consideravit ne *Allegans*, quod, ob vitandum expensas, deportati fuere aliqui libelli Constitutionum ex illis Romæ legitimè impresśis, & quod per vnum illorum, vt per exemplar, alij quam plurimi necessari fuerunt impresśi Matriti? Debuit ita intelligere, cum semper fuerit sic practicatum. Sed *noluit intelligere, vt bene ageret*, & consequenter: *Verba oris eius iniquitas, & dolus*. (262) Quid ergo dictis machinator intendit? Nonne doctos hallucinari: turbare vulgum: & ipsum Regem, quem aloquitur, decipere, vt falso iudicent,

præ-

(258) *Estas leyes:: no estàn subscriptas, ni firmadas del Comissario General, por no averse hallado en aquel Capitulo, ni constar confiriesse con èl, como parte interessada, esta Constitucion.* Memor fol. 14.

(259) *Y lo que es mas, sin beneplacito, ni noticia de V. Magestad, que ya le tenia amparado, y defendido con la Real proteccion de su patronato, como parte, y miembro del oficio de Comissario General.* Memor. fol. 14. à tergo init.

(260) *Pero que se deba practicar* (Decretũ Sac. Congregationis) *y permitir su vso tiene muchisima dificultad, porque este Decreto es opuesto à las leyes Canonicas, y Sagradas de la Iglesia.* Memor. fol. 53. antè med. à terg.

(261) Proverb. cap. 26. v. 5.

(262) Psalm. 35. v. 4.

prædictas Constitutiones non fuisse primo Romæ recte impressas? Aut non esse à R.mo P. Zarzosa legitime, & fideliter ex vero exemplari typis datas Matriti, sed ad sui placitum fictas? Hæc, & alia similia videtur machinatus; & contra Religionis dignissimum caput, virum sane doctum, probum, & iustum, ac S. P. Francisci verè successorem. Et (quod mirum est, suamque fallacem intentionem, & animum virulentum detegit) in re ita notoria omnibus Patribus dicti Capituli, ab eis discusa, & determinata, & postea omniReligioni intimáda, ab ipsisque Patribus revidenda. O inverecundam *Allegantis* audaciam! O *quanta malignatus est inimicus in Sancto!* (263) Sed tandem omnia, & eius repetitas nænias, quas emendare non libet, vnico verbo eludo. Et est: quod de Principe semper præsumitur, quod iuxtam causam habeat faciendi, quod facit. (264) Vnde non est cur ad censurã vocari possint ea, quæ gesta sunt à Generali Ministro; additque robur præsumptioni integritas, & prudentia claræ memoriæ R.mi P. Marci Zarzosa, quæ maiora omni sindicatu eius facta in administratione Religionis reddiderunt. Et de hoc satis. Quoad primum dictum de iure, dico: quod ex Statutis Ordinis (265) habetur creatio Vice-Commissarij (de quo est quæstio) facienda à MinistroGenerali existente in partibus Hispaniæ, & in ipsius absentia à Commissario Generali Indiarum; pariter eius præeminentiæ, & officij duratio, quæ prius permisivè per tempus indeterminatum, & arbitrio Ministri Generalis instituentis relicta fuit; postmodum ad octennium fixa; & tandem pristino Ministri Generalis arbitrio commissa Aduerto autem, quod institutio ipsius inducta mero iure Statutario Capituli Generalis 1583. eadem authoritate Capituli Romani 1612. optima ratione, fuit suppressa; (266) & iniunctum Commissario Generali Indiarum, vt tempore Clasis adventantis ipse Hispalim pergeret Fratres ab Indijs venientes excepturus, vt eius Prædecessores fecerant: & tandem ex Decreto Congregationis Segouiensis eiusdem authoritate fuit restituta. Peto ergo ab *Allegante:* an Commissarius Generalis Indiarum-

(263) Psalm. 73. v. 3.

(264) Abb. in cap. Quæ in Ecclesiar. n. 14. de Constit. qui citat Clement. litteris de probat. & Glos. in l. Delegati. ff. de pœn. Jason in leg. Quominus, ff. de Flumin. I. B. Nicola, reg. iur. lib. 14. fol. mihi 84. col. 2. v. In Principe arg. l. 2. C. de offic. ciuil. Iud. Gloss. in l. 1. C. de fid. instr. cap. Fin. de præsumpt. cap. 1. de scrutin. in ord. fac.

(265) Cap. Rom. 1587. Orb. Seraph. tom. 3. fol. 370. col. 2. v. Decernitur, cap. Rom. 1639. Orb. Seraph. tom. 4. fol. 48. col. 1. Cong. Gen. Tolet. 1673. Orb. Seraph. loc. cit. fol. 210. col. 1. cap. Gen. Rom. 1676. Orb. Seraph. loc. cit. fol. 226. col. 2.

(266) *Cum sit nimis exosum noua officia sine necessitate introduci; statuit Capitulum Generale, vt officium Vice-Commissarij Generalis Indiarum Hispali constitutum extinguatur, nec in posterum tanquam inutile permittatur, & P. Commissario Indiarum Generali iniungit, & ordinat, vt deinceps tempore adventus Classis, Hispalim adeat ad recipiendos Fratres, qui ex Indijs aduenïunt, vt facere consueverunt prædecessores.* Cap. Gener. Rom. 1612. Tit. Pro Ind. Prov. Orb. Seraph. tom. 3. fol. 607. col. 2.

diarum ligare potuit manus Generali Capitulo, quominus ſupprimeretur Vice-Commiſſarius, & ſuppreſſus remaneret per decem & octo annos. In hac porrò ſuppreſsione durarunt quinque Commiſſarij Generales Indiarum, vt patet ex Orbe Seraphico; (267) nec tamen vllus ipſorum litem movit coram Rege Catholico de tali ſuppreſsione facta. Vel ergo hoc evenit, quia ignorarunt; vel quia defendere neglexerunt iura ſui officij; vel quia cognoverunt integrum ius ineſſe Capitulo Generali diſponendi ad ſui libitum de officijs inductis in Ordinem mero iure Statutario. Nec primum, nec ſecundum dici poteſt abſque iniuria graviſsimorum Patrum, in quorum numero fuit Antonius de Trejo, ob emminentiam ſcientiæ, & Religionis zelum ad Generalatum evectus. Convincitur ergo de neceſsitate, quod ideo fuit, quia cognoverunt, quod in Capitulo Generali eſt plena poteſtas formandi, reformandi, abolendi, moderandi, abrogandi Statuta ad rectam gubernationem Ordinis requiſita. Proindè, quamvis ſuppreſsio Vice-Commiſſarij illos tangeret, humiliter tamen, & quiete eius decretis paruerunt; quod non facit *Allegans*, qui prætendit eſſe nullum Statutum, cui ipſe non interfuit, & cui non conſenſit, quia de ſuo iure agebatur. Quid ſi interfuiſſet, & aliter ſenſiſſet, quam reliquum Capituli; fortè ille ſolus contra reliquos prævaluiſſet? Non. Nihil ergo officit pro validitate Statuti eius abſentia, cuius præſentia Statuti decretum non impediviſſet. Sed ſic ad hominem arguo: Aut æquale ius fuit Religioni in Capitulo Romano 1676. ſicut in Congregatione Toletana 1673. vel non. Nulla eſt ratio dicendi, quod non fuerit æquale; imò optima ratio, quod fuerit maius in hoc, quam in illa, ex eo, quod in hoc intervenit Conventus totius Ordinis, & in illa tantum vnius familiæ. Si ergo potuit Congregatio Toletana ſtabiliendo durationem octennij pro Vice-Commiſſario reſtringere facultatem Generalis, qui poterat pro arbitrio iuxta antiqua Statuta illum officio abſolvere; & quare non potuit Capitulum Romanum antiquum ius, & arbitrium reſtituere Generali Miniſtro, ſublata ne-

(267) Orb. Seraph. tom. 1. cap. 17. n. 15. fol. 290. col. 2.

necessaria duratione octennij, maximè aucta consueta potestate Capituli per decretum Sacræ Congregationis declarantis, & Statuentis? Chimerica sanè prætensio, aereo fundamento innixa.

Ad secundum dico: quod *Allegans* fundamentum Regij Patronatus respectu Commissarij Generalis Indiarum refundit in pactum firmatum inter Religionem, & Regem ex titulo oneroso, quod satis, superque demonstravimus in superioribus falsum esse. Concesso nihilominus hoc falso, adhuc non sequitur, quod assumitur ab *Allegante*. Etenim pactum cum Rege (ex dictis *Allegantis*) factum fuit in Capitulo Toletano 1583. sed illo tempore non dum institutum erat officium Vice-Commissarij; sequitur ergo, quod nihil potuit pactum fuisse cum Rege super eo, quod non erat, nec instituendum præuidebatur. Etenim pro gerendis negotijs, quæ modo sunt de officio prædicti Commissarij, iàm antè institutionem officij Commissarij Generalis Indiarum per Capituli Tolosani Statuta (268) deputatus erat Guardianus Hispalensis pro tempore, nec decreando Vice-Commissario prædicto cogitatum fuit, nisi anno 1587. in Capitulo Romano, (269) in quo remansit institutus. Nec de hoc pactum vllum nouum factum cum Rege *Allegans* ipse assignat; quomodo ergò potuit esse de Regio Patronatu? Quando idem officium fuit totaliter sublatum, & per tantum temporis mansit, vt supra visum est, vel erat de Regio Patronatu, vel non. Si non tunc, ergò nec nunc; quando quidem aliud pactum cum Rege factum neque ab *Allegante* dicitur. Si sic; & quomodò non curavit Rex aboleri Statutum illud, vt læsiuum sui iuris, & restitui Vice-Commissarium? Sed Statutum mansit firmatum donec Religio, nova inducta ratione, eumdem denuò decreuit institui? Hoc sanè non ex alio fundamento, nisi quia Religio semper fuit in suo pleno iure decernendi circa regimen subditorum independenter à quacumque sæculari potestate, per quam eius libertas minimè potuit vinculari. Falsum ergo est etiam secundum dictum *Allegantis*, qui compeditam à Regio Patronatu vult Re-

(268) Cap General. Tolos. 1532. Orb. Seraph. tom. 3. fol. 277. v. Ven. Pater, col. 2. *Ven. P. Guardianus Hispalensis pro tempore Provinciæ Beticæ sit Commissarius Indiarum, diligenterque curam gerat circa Fratres euntes, & redeuntes, &c.*

(269) Capit. Roman. 1587. Orb. Seraph. tom. 3. fol. 370. col. 1. v. Decernitur.

ligionem circa Vice-Commissarium prædictum.

Ad tertium dico: quod hucvsque mihi pugnandum fuit pro defensione iurium Religionis; sed nunc pro authoritate Supremi Tribunalis Eminentissimorum Patrum res agenda est. Sub vngue vult *Allegans*, & asserere audet Sac. Congregationem (quam inurit stigmate iniustitiæ in decernendo contra leges Canonicas) & Cardinales propugnatores iurium Ecclesiæ, contra Sacras Ecclesiæ leges, statuisse. Quid dicendum ad hæc? Putarem potius Hippocratis helleboro obviandum *Allegantis* cerebro, quam ex Canonicis principijs eius dicta refellenda esse. (270) Ne tamen videamur dissimulare iura, quæ ipse allegat, (271) dico, quod non quadrant in casu nostro. Rescripta enim illa (vt ex legibus, & Doctoribus à se citatis deducitur) non sunt adimplenda, donec Princeps supplicatus denuò rescribat, quando iuri communi contrariantur, & sic continent errorem intolerabilem, sive ex suppressione veri, aut ex positione falsi, obreptionis, aut subreptionis vitio laborant; & in hoc sensu loquitur Rodericus ab *Allegante* citatus cum cæteris; non est autem sic decretum Sacræ Congregationis; non enim iuri communi adversatur, nec boni communis læsiuum est, vt patet; imò bono communi prodest; si enim Vice-Commissarius, durante octennio est securus de proprio officio, vel remissè, vel insolenter in eo potest se gerere, sisus, quod non poterit amoveri, nisi ex causa iudicialiter probata, quod difficile est, & rarò præstatur. Et ita ad libitum poterit versare omnia, viuere ad placitum, & tractare Religiosos pauperculos, vel durè, vel partialitèr, vltra multa alia publicæ vtilitati adversa, quibus prudenter mota Religio revocavit legem de duratione octennij. Pariter per tale decretum restituta est Ministro Generali antiqua libertas instituendi, & destituendi Vice-Commissarium, & saniori consilio egit integra Religio congregata in Capitulo Generali, quæ iura pristina restituit, quam vna familia tantum in Congregatione, quæ novo iure authoritatem Ministro Generali limitavit. Nec ideo ex tali provisione Capituli abso-

(270) *Iam pridem caput hoc ventosa cucurbita quærit.* Iuuenal Satyr. 14. v. 58.

(271) Memorial, fol. 53. à tergo in marg. l. Rescripta, C. de præc. Impetrat. offer. l fin. C. contr. ius. cap. si quando de rescript. Roder. tom. 1. q. 6. art. 7. & alios vid. ibi.

ſone deduci poſſunt conſequentiæ, quas ſomniatur *Allegans*; ſiquidem remotio Vice-Commiſſarij ex Statutaria diſpoſitione (272) committitur non abſolutæ voluntati; ſed *ad arbitrium ipſius, provt in Domino expedire cognoverit.* Notum porrò in iure eſt, (273) quod aliud eſt voluntas libera, aliud arbitrium boni viri; primum enim non importat niſi potentiam abſolutam ab omni externo dictamine, & ſolummodò à ſui ipſius placito determinatam; arbitrium autem dicit voluntatem liberam quidem à coactione, ſed tamen regulatam à ratione. Vndè cum ille dicatur bonus vir, qui ad normam legum operatur, & iudicat, arbitrium boni viri dicetur illud, quod regulatur à ratione, lege, & æquitate; & qui tali arbitrio agere debet, diligentem inquiſitionem facere debet, vt benè, & rationabiliter operetur; & in ſpecie qui amovere officialem poteſt ex arbitrio, non poteſt amovere ſine cauſa rationabili. (274) Et, vt benè obſervat, & docet Menochius, (275) quatuor præſtare debet; nempè faciliter non credere, requiſita diſcutere, propoſita examinare, & ſecretò audita ei, qui removendus eſt, intimare, vt ſe defendat. Dum ergo omnia hæc importet arbitrium, ſecundum quod Miniſtro Generali committitur remotio Vice-Commiſſarij, non poterit ille ſine culpa inauditus, & indefenſus removeri; nec liberum erit Generali illum ſine cauſa ſpoliare, ſed poterit ſine iuridica inquiſitione, & cum ſola extraiudiciali æquitate quietius defectibus, ſi quos depræhenderit, obuiare. Nec contra decretum taliter diſponens poterit, tanquam contrarium Canonicis, & Eccleſiaſticis legibus, conclamari, vt abſque fundamento ſit ab *Allegante*.

(272) *Liberum eſſe Miniſtro Generali deponere, & removere ab officio Vice-Commiſſarium Generalem Indiarum, Hiſpali reſidentem ad ipſius arbitrium, provt in Domino expedire cognoverit.* Cap. Rom. 1676. tit. pro vtr. fam. v. Authoritate, Orb. Seraph. tom. 4. fol. 226. col. 2.

(273) Bart. in extrav. ad reprimendum, n. 2. Alex. conſ. 33. n. 3. lib. 1. Soccin. Iun. conſ. 94. n. 16. lib. 2. Crav. conſ. 612. n. 11. Menoc. conſ. 69. n. 4. & 5. Apoſtil. ad Roman. conſ. 376. n. 7 v. Ordinaria, Dec. in cap. Ne innitaris, n. 4. & 5. de Conſtit. Ludov. Rom. conſ. 467. in princip.

(274) Ludovic. Roman. conſ. 467. in princ. cap. Satis perverſum, diſt. 4. cap. Conquærente de reſtitut. ſpoliat.

(275) Menoch. de arbitr. Iud. q. 10. apud Tuſc. A. concl. 470. n. 10.

§. VIII.

SVMMARIVM.

60. *Proponuntur quarelæ* Allegantis *contra Miniſtrum Generalem.*

61. *Reſpondetur ad obiecta.*

Pro-

Provisio facta ex necessitate non extenditur ad ea, in quibus non militat necessitas.

Deputare Procuratores in Curia Romana spectat privativè *ad Generalem Ministrum.*

62. *Refellitur obiectio, quæ potest fieri ab* Allegante.

Clausula, quam habet in Patentibus, mittendi ad Romanam Curiam, *examinatur. Illa est privilegium personale.*

Privilegium contra ius commune strictè interpretandum.

Et strictissimè, si lædit ius tertij.

Mittere *in iure quid importet.*

Procuratores non dicuntur mitti, sed constitui, &c.

63. *Confutatur tertium dictum* Allegantis.

Priuilegio spoliandus est, qui concesso abutitur privilegio.

60 Aliam quærimoniam proponit *Allegans* contra P. Ministrum Generalem, occasione quarumdam Patentium datarum à CommissarioGenerali Indiarum cuidam Religioso, vt esset Procurator in Romana Curia in causa Venerabilis Servi Dei Sebastiani de Apparicio, & circa hoc dicit.

1. Quod dare litteras Patentes, & Procuratores instituere in Romana Curia pro negotijs Indiarum spectat ad Commissarium Generalem *privatiuè* quoad Generalem Ministrum.

2. Quod hoc habetur ex Patentibus litteris, quæ solent à Generalibus, quando instituunt Commissarium Generalem Indiarum, expediri.

3. Quod hoc faciunt Generales non voluntariè, sed coactè ex vi legis Statutariæ, & ex pacto facto cum Rege Catholico, per quod plenaria potestas, quam habet in Indijs Minister Generalis, translata est in Commissarium, qui habet per hoc territorium divisum. (276)

(276) Memor. à fol. 30. & inde.

61 Ad hæc omnia facili negotio respondetur, recolendo ea, quæ paulò superius, núm. 56. demonstravimus, puta: quod provisio, quæ in aliquo casu fit contra legem ex causa necessitatis, non potest extendi ad ea, ad quæ necessitas ipsa non extenditur. Porrò necessitas, ob quam præter regulam (quæ vult

vnum tantùm Prælatum Generalem totius Fraternitatis) institutus fuit Generalis Commiſſarius Indiarum, reſidens in Curia Catholica, fuit multitudo negotiorum ſpectantium ad Provincias novi Orbis, quæ in Curia Catholica debent expediri; ad alia autem negotia illarum partium tractanda in alijs Curijs, & ab alijs Officialibus Ordinarijs ex vi Statutorum ſolicitandis, aut procurandis, non ſe extendit eius facultas; quia reſpectu iſtorum nulla militavit neceſsitas in Ordine nouum Officialem creandi. Siquidem habemus ex Statutis Ordinis, (277) quod omnia negotia vniuerſarum Ordinis Provinciarum, etiam Indicarum, ſunt tractanda in Romana Curia à Procuratore Ordinis, ſiuè Commiſſario in Romana Curia. Et ſpecialiter pro negotijs Canonizationis Seruorum Dei, per alias Conſtitutiones (278) providetur, vt omninò per ſolum Procuratorem Ordinis *privatiuè* quoad cæteros agenda tractentur. Quod, ſi inſubſidium Procuratoris Generalis pro ſimilibus cauſis Canonizationis, ſiuè alterius gravis negotij Procurator particularis pro aliqua Provincia deputandus venit, iſte à Miniſtro, vel Commiſſario familiæ Generali facultatem in ſcriptis obtinere, & litteras patentes ſuæ inſtitutionis (quæ tamen ad ſolum triennum extenditur) ab eodem recipere debet; prohibita huiuſmodi inſtitutione ſuperioribus Generalibus, niſi in caſu maximè neceſsitatis, vt firmant Statuta Ordinis. (279) Et ſpecialiſsimo iure Fratres adventantes ab Indijs non poſſunt in aliquo Tribunali cauſam vllam proponere, aut tractare ſine expreſſa licentia Miniſtri Generalis, ſeù eius Commiſſarij Generalis Indiarum, vt ſonant primæva Statuta inſtitutionis illius. (280) Stantibus ergo tàm expreſsis iuribus, eſt prorſus inepta prætenſio *Allegantis*, qui ſibi arrogare vult deputationem Procuratorum pro negotijs Indiarum, & præſertim pro Canonizatione Servorum Dei. Et eò magis irrationabilior apparet, quo non contentus ſibi arrogare facultatem, quam non habet, iactat ſibi ita eſſe propriam, vt eam *privatiuè* habeat quoad Miniſtrum Generalem, cum tot Statuta expreſſa ſibi reſiſtant.

(277) Capit. Roman. 1612. tit. pro vltr. fam. Cong. Gen. Segov. 1621. cap. 7. tit. de Procur. Gen. & Cur. Commiſ. Orb Seraph. tom. 3. fol 607. col. 2. & fol. 675. col. 1. *Declarat Capitulum Generale Procuratorem, vel Commiſſarium Romanæ Curiæ pro vltramontana familia deſignatum pro omnibus præfatæ familiæ Provincijs, etiam Indiarum, tám Occidentis, quàm Orientis, intelligi debere conſtitutum. Quapropter indicis Provincijs præcipitur, vt ad prædictum Procuratorem, vel Commiſſarium immediatè traſmittant negotia in Romana Curia tractanda.*

(278) Cap. Gen. Rom. 1676. tit. Stat. pro vtr. fam. v. Declaratur Orb. Seraph. tom. 4. fol. 218. col. 1. *Declaratur ad Procuratorem Generalem Ordinis ſpectare inſtantias, quæ fieri ſolent in Cappella ſuæ Sanctitatis: pro actu beatificationis, vel Canonizationis Servorum Dei ex noſtra Religione, cuiuſcumque ipſi Servi Dei familiæ extiterint.*

(279) Cap. Gen Tolet. 1658. tit. pro vtr. fam. num. 2. Orb Seraph. tom. 4. fol. 153 col. 2. *Inhibetur, ne Provinciarum Procuratores ad Romanam Curiam, Matritenſem, nec aliorum Principum deinceps mittantur, niſi de licentia in ſcripta obtenta R.mi Miniſtri, aut Commiſſarij Generalis; & aliter miſsi puniantur tanquam Apoſtatæ.* Idem Cap. loc. cit. n. 16. Orb. Seraph. loc. cit. fol. 155. col. 1. *Procuratores Provinciarum in quacumque Curia, & pro quavis cauſa non inſtituantur: attamen ſi aliquando ſuperiori Generali expedire videbitur per ſuas patentes inſtitui, non fiat niſi tantum triennales: huiuſmodi autem Procuratores non inſtituantur etiam per ſuperiores Generales, niſi ex maxima neceſsitate.*

(280) *Si venientes Fratres habuerint negotia ad Provincias illarum partium (Indiarum) ſpectantia, præcipimus, vt nullo pacto poſsint apud Regem Catholicum, nec eius Senatum, nec in aliquo Tribunali negotia prædicta proponere ſine licentia Miniſtri Generalis, vel eius Commiſſarij Indiarum in Curia reſidentis.* Cap. Gen. Tolet. 1583. Congreg. Segov 1621. Orb. Seraph tom. 3. fol. 699. col. 2. §. Si venientes.

62 Nec valet, quod ad huiusmodi prætensionis subsidium adducat clausulam, quæ in suis patentibus habet, per quam sibi fiat potestas mittendi ad Romanam Curiam. (281) Quia enim leges communes Religionis, vt apparet ex Statutis mox citatis, ad solum Generalem Ministrum referunt deputationem Procuratorum ad Romanam Curiam, & causas Canonizationis Sanctorum assignant Procuratori Ordinis curandas; sequitur, quod facultas data Commissario Indiarum mittendi ad Romanam Curiam sit privilegium iuri communi Religionis contrarium. Paritèr cum hoc concedaturCommissarijs Indiarum pro tempore, expresso ipsorum nomine,tale privilegium non censetur concessum officio,& Reale, sed personæ tantùm, & personale; (282) attento maximè, quod in ijs exprimitur meritum, virtus, prudentia, ob quæ conceduntur illa, quæ ibi veniunt expressa; quæ omnia,cum insint personæ,concludunt,privilegium concessum contemplatione illorum, esse personale. Quod magis patet ex hoc, quod in patentibus datis à Generali de Capite Fontium, talis clausula non est inserta, neque ab omnibus Ministris Generalis cum omnibus Commissarijs Indiarum practicata est, sed ad placitum,& spectata qualitate personæ, ob quam talis clausula redditur privilegiativa personaliter. Explorati autem iuris est, quod privilegium contrarium iuri communi strictam tātum admittit interpretationem; debet enim lædere ius commune minus,quam possit, quia sufficit, quod aliquid operetur; (283) & strictissimam recipit tantùm interpretationem, quando lædit ius tertij; (284) quod tollere Princeps non intendit per privilegium concessum. (285) Hoc ergò supposito,clausula privilegij est. *Si opus fuerit,ad Romanam Curiam mittendi*; debet ergò intelligi purè iuxta strictam interpretationem; *mittere autem ad Curiam Romanam* importat missionem alicuius personæ ad aliquod exponendum, narrandum, portandum ad Curiam, vtpotè scripturas, processus, acta, instrumenta, eleæmosynas,&c.non importat autem permanentiam in Curia, & multò minus ius, officium, aut actionem

in

(281) *Ac, si etiam opus fuerit, ad Romanam Curiam mittendi* Memor. fol. 7. a terg. in marg. sub n. 41. & fol. 30.

(282) Alex.cons. 86. in princ.lib. 1. Cravett. cons.929.Tusc. litt.P. concl. 745. n. 9. & 10. Cabassut. Iur Canon. Theor.lib. 2. cap. 15. num. 20.

(283) Cap. 1.vbi Canonistæ communiter de rescript. cap. Dudum, vbi Ant. de Butr. de donat. cap. 1. §. Numquid de privil.in 6.vbi Geminian. notab. 1. l Si quando vbi Bart. & alij, C. de in offi. testam. Aret.cons. 163. col. fin. Socc.cons. 110. lib. 1. Card. Tusc. P. concl. 731. num. 4. cap. Porrò de privil. in 6.

(284) Ludouic.Roman cons. 118. in fin.vbi Apostill in v. Intelligenda dat multa concord. Alex. cons. 110. n. 10. & 11. lib. 6. Berous, cons. 146. n. 12 & 13. lib. 3. In cert. post regul. 8. Soccin. in 2. ampliat.

(285) L. Quoties,C. de præc.Imper. offeren. Oldrad. consil. 237. n. 7. v. Quarto circa fin. & cons. 310 in princ. Butr. cons. 19 n. 20. Abb. cons.70. v. Secundo cadit,n. 2. Calderin. cons. 526. aliàs 11. de privil.

in Curia; præsertim procuratorio nomine. *Mittere* enim in iure non importat stabilitatem, permanentiam, aut durationem eius, qui mittitur respectu illius, in quo mittitur, sed tantùm temporalitatem, & sanè brevem. Vndè secundum leges (286) mitti in possessionem dicebantur, non, qui stabilem rei possessionem acquirebant, sed quibus ad tempus dabatur possessio ad custodiam, aut crediti, aut ventris, aut dotis, aut legati, aut damni infecti. Pariter mitti dicuntur, qui ad aliquod per modum transeuntis præstandum, seù recipiendum, mittuntur: (287) vt *mitti ad actionem*: *mitti ad Iudicem*: *mitti ad Arbitrum*. Quibus verò per modum permanentem tribuitur aliquod officium, sivè actio, dicuntur deputari, creari, seù constitui, sivè mandari; sicque in iure (288) habemus: *operibus publicis deputatos*, vt Fabricenses ad arma construenda: creatos Consules: Aediles: Quæstores: *constitutos* in dignitate: Prælatura: officio: &c. (289) Et de Procuratoribus specialitèr dicitur eos *constitui*, & mandatum procuratorium dari. (290) Iuxta hæc ergo accipiendus est sensus clausulæ supradictæ, ita vt Commissarius Generalis habeat quidem facultatem *mittendi* ad Curiam Romanam aliquos Religiosos pro negotijs Indiarum, puta: ad informandum ore tenus de aliqua causa, ad testificandum in iudicio, portandos processus, scripturas, instrumenta, &c. non tamen ad manendum in Curia ad agitanda, sivè curanda negotia; quia ad hoc non se extendit facultas data per talem clausulam, per quam non habet ius constituendi, instituendi, creandi, seù mandandi authoritatem, aut officium Procuratoris, sed simpliciter *mittendi ad Curiam Romanam*. Quod, cum lædat ius Procuratoris Generalis Ordinis, cui talia negotia tractanda privativè conveniunt, ad illud minimè extendi potest tenor clausulæ privilegiativæ.

(286) L. 3. §. Final de acquirend. hæred. l. 10. eo. tit. l. 1. ff. Quib. ex cau. in poss. l. 2. ff. de Feri l. 9. ff. de Rei vendic. l. 26. & 27. ff. de Iudic. Caluin. Lexic. v. Mitti in possess.

(287) L. videamus, ff. de ædilit. edict. l. final, ff. de qui. reb. ad eum Iud. ea, l. 1. §. Cum dicitur, ff. si cui plusquam per leg. Falc.

(288) L. si qui publicorum, C. de servit. fugit. nouell. 85. capit. 1. Auth. coll. 6. tit. 14.

(289) Brisson. apud Calvin. v. Constituere hæredes.

(290) Cap. Quærelam, cap. In nostra, cap. Cum pro causa, cap. Auditis de procur. l. 1. §. 1 l. Itaque, ff. eo. tit. l. Quod quis, l. si Procurator, l. non eo. C. de procurat.

63 Tertium porrò eius dictum: quod nempè Generalis Minister præfatam facultatem illi tribuit non voluntariè, & liberalitèr, sed coactè, & ex mandato statutario, compare cum cæteris falsitate laborat; & hôc solo dilemmate *Allegantem* vrgeo. Supposito enim

quod

quod in Constitutionibus (provt de facto est) nulla habeatur expressa mentio de hoc, ita ratiocinor. Facultas deputandi Procuratorem in Romana Curia, quam concedere Commissario tenetur Minister Generalis, vel continetur in *vicibus Generalis, & in plenitudine potestatis*, quas ex vi Statuti obligatur Minister Generali Commissario dare, vel non? Si non: ergo Generalis, si eam concedit, non concedit coactè, sed voluntariè, & ex merò arbitrio. Si sic: ergo superflua est huiusmodi clausula, & inutiliter apponitur; sed falsum est, quod talis facultas importetur in *plenitudine potestatis*, vt probavimus, num. 61. cum nulla ex hoc capite orta sit necessitas instituendi Commissarium Generalem; & proindè ad illud non potest extendi provisio. Sequitur ergò, quod Minister Generalis eam tribuit ex sui mera liberalitate; nec ad mittendum Procuratorem, neque Generalem, neque particularem ad Romanam Curiam, habet Commissarius Generalis ius imaginabile; sed tantum potest pro aliquo negotio per modum transeuntis mittere, & hoc ex speciali privilegio sibi concesso à Ministro Generali. Et quis non stupebit priuilegiatum in tantùm se erigere contra privilegiantem, vt audeat audaci, ne dicam in sana, prætensione prætendere, quod nequeat Minister Generalis proprio iure, quod, ex ipsius beneficio, & liberalitate, habet Commissarius privilegiatè? Profectò, si *privilegium meretur amittere, qui sibi concessa abutitur potestate*, vt vtraque iura firmant, (291) potestate sibi collata spoliari debet Commissarius Indiarum; cum ex ea insurgat contra Ministrum Generalem, & inaudito attentato vsurpare legitima ipsius iura procuret.

(291) Cap. Tuarum de privil. cap. Vt privilegia eo. tit. l. Iudeis, C. de Iudæ, l. Quæsiui, ff. de neg. gest. l. liberum, ff. de pecul.

§. IX.

SVMMARIVM.

64. *Proponuntur alia dicta* Allegantis.

65. *Examinatur Iuspatronatus Regij.*

Senatores sunt pars corporis Principis.

Grauissimum est, quod Principes stimulentur ab Ecclesiasticis contra iura Ecclesiæ.

Laici

66. *Laici prohibentur se ingerere in rebus Ecclesiasticis.*

Iuspatronatus conceditur Laicis ab Ecclesia ratione gratitudinis.

Iuspatronatus conceditur ob constructionem, restaurationem, aut dotationem Ecclesiæ.

Iuspatronatus restringitur ad solam nominationem Beneficiati.

Patronus non potest conferre Beneficium.

Rex Catholicus est Patronus omnium Beneficiorum in Indijs.

67. *Iuspatronatus strictè interpretandum.*

Iuspatronatus Regis Catholici ad quæ limitetur.

68. *Patronus Laicus non habet nisi ius præsentandi.*

Roderici, & Mirandæ excessus in scribendo.

69. *Confutantur dicta Roderici, & Mirandæ.*

Rex Catholicus non est Legatus Papæ in Indijs.

Legatus Apostolicus quæ possit.

Legati nati quinam sint.

Rex Catholicus non est Legatus natus.

Iura Ecclesiastica quandoque Laicis concessa.

Exorbitantia à iure non sunt deducenda in consequentiam.

Asserenti se esse Legatum Papæ non creditur, nisi ostendat suas litteras.

Privilegium Adriani VI. non extenditur vltra expressa.

Rodericus sibi contrarius.

Concessio facta Capitulis Indiarum à B. Pio V. ad instantiam Regis Philippi II.

70. *Catholicorum Regum pietas, Religio, & magnificentia laudata.*

Assentatores, vt sibi benè, Regibus malè consultant.

Pax Ecclesiæ, & vnitas Religionis sunt fulcra Imperij.

71. *Recapitulantur dicta, & confutatur* Allegans.

Rex habet Patronatum Commissariatus Indiarum ex concessione Religionis.

Iuspatronatus potest donari.

Patronus debet defendere Ecclesiam, cuius est Patronus.

Plus iuris in Beneficio Prælatus conferens, quam Patronus præsentans.

72. *Ostenditur, quod ad Consilium non spectat propositio facienda Regi de idoneis ad Commissariatum Indiarum.*

Iuspatronatus fuit concessum personæ Regali.

Praxis consueta circa institutionem Commissarij Generalis Indiarum.

Solorzanus expositus, & impugnatus.

Quod semel sensit Rex, habendum est pro lege.

Consuetudo requirit duos actus ad minus.

Vt sit valida, debet esse rationabilis:

Et præscripta per 40. annos.

73. *Ius proponendi, vt supra, à nullo potuit conferri in Consilium Indiarum.*

Lex sine ratione est nulla.

Ratio dictat, non esse conferendum officium in capaci illud administrandi.

Absurda multa, quæ sequerentur, si Consilium deberet proponere idoneos ad Commissariatum.

Excommunicatio contra recurrentes ad favorem sæcularium pro obtinendis Dignitatibus.

Qui non intrat per ostium, non est Pastor.

Forma præscripta à lege non servata, reddit actum nullum.

Consuetudo interpres legis.

Electio facta per abusum potestatis sæcularis est nulla.

74. *Reijcitur prætensio desumpta à primis patentibus datis à Generali de Capite Fontium primo Commissario Indiarum.*

Prælatus sine consensu Capituli grauia negotia nequit tractare.

Primi Commissarij Indiarum fuere delegati.

75. *Probatur ex Textu Statutorum propositionem esse faciendam à Generali Ministro.*

Dictio Ex *quid importet in iure.*

Assensus, & beneplacitum *quid significent.*

Beneplacitum importat arbitrium boni viri.

64 Parum verò fecisse sibi visus est *Allegans* in amplianda suprà, & contrà ius, potestate Commissarij Generalis Indiarum, & plenarium ius in ijs, quæ spectant ad illius officium, seù formalitèr, seù reductivè,

X

spolia-

ſpoliata in totum Religione, conferendo in Regium Patronatum; niſi etiam ea, quæ ex primæva inſtitutione, ex diſpoſitione aperta Conſtitutionum, & ex confirmatione legitimæ conſuetudinis Miniſtro Generali debentur, tolleret, & in Regium Indiarum Senatum referret. Hic homo deſtitutus præſidio legum; ſibi parare nititur patrocinia hominum, fidens ſophiſmatibus, & mendacijs impoſturas vendere pro veritate; & tales, ex repreſentata ipſorum vtilitate, graviſsimos Senatores reddere, qualis ipſe, neſcio quo aſtro percitus, contra Religionem inſurgit. Ea tamen eſt Regij Senatus integritas; ea eſt iurium Religionis claritas, vt mendaciorum tenebræ per *Allegantem* obiectæ hanc minimè obnubilent; neque illam extra ſemitas rectitudinis à iuſto aberrantem deducere poſsit, laruata ſpecie Regij ſervitij, illius animoſitas concitata. Dicit ergo: quod in electione Commiſſarij Generalis Indiarum Miniſter Generalis nullum ius habet, niſi cooperandi Regiæ Maieſtati in benè conſulta electione, non in iure nominandi, ſed in obligatione informandi; namque conſilium Indiarum proponit Regi, Rex nominat, & Miniſter Generalis adactus Statutis Ordinis dat nominato omnimodam ſui poteſtatem. (292) Et hoc confirmat çitato ad marginem Solorçano, qui dicit, quod *tres Religioſi ſolent proponi à ſupremo Indiarum Senatu, & ex ijs Rex vnum nominat.*

65 Ante quam pro dignitate hanc falſitatem detegam, & eius vana, ſomniataque fundamenta revelem, operæ pretium eſt, de Regio Patronatu circa Commiſſariatum Generalem Indiarum, ex fundata doctrina canonica nonnulla neceſſaria præmittere. In tantum enim ab *Allegante* tribuitur Conſilio Indiarum ius proponendi Regi eos, ex quibus vnus à Rege nominationem debet ſortiri, in quantum Rex aſſeritur eſſe abſolutus Patronus talis officij; & proindè cum Senatores Regalis Conſilij cenſeantur vna res cum Rege; (cum in iure (293) dicantur pars corporis Principis) hinc eſt, quod integro Senatui tale ius nititur *Allegans* poſt Solorzanum vendicare. Nec animus hic

(292) *De forma, que acto de derecho alguno en eſte oficio, no le ha permitido V. Mageſtad à los Padres Generales. Tienen en el ſolo la obligacion, à que la Religion, y ſu Santidad les ha preciſado, y là que lès incumbè de ayudar à V. Mageſtad à la mas acertada eleccion de ſu oficio; no por derecho de nombrar, ſi por carga de informar; y aſsi al que el Conſejo propone, y de ellos merece de V. Mageſtad la gracia, y no à otro, comete ſus vezes, y autoridad omnimoda el Miniſtro General de la Orden, en execucion de lo que ordenan los eſtatutos, &c.* Memorial, fol. 14. à tergo citat Solorzan. lib. 3. cap. 26. n. 41. & memor. fol. 26. init.

(293) L. Quiſquis, C. ad leg. Iul. Maieſt. l. Ius Senatorum, C. de dignit. 7. q. 1. §. Verum, v. Si quis cum militibus. Hoſtien. Summ lib. 1. Rubr. de offi. legat. §. Quot ſpecies.

hic est Catholico Monarchæ iura minuere, aut aliquid legitimæ ipsius iurisdictionis detrahere, cum potius paratus sim, pro ampliatione Regiæ dignitatis sanguinem ipsum, vt bonus vassallus, profundere; sed ostendere intendo limites, intra quos se continere debet Regia iurisdictio; ne, dum excedere vltra fas stimulatur ab assentatoribus, & in ius spirituale, & Ecclesiasticum se ingerere solicitatur, iacturam propriæ salutis incurrat. *Grave quidem, & Diuina animaduersione dignum est* (vt habetur in quodam Canone) (294) *quod laici, quod Ecclesiasticorum est, vsurpent; sed longè grauius, quod fomitem sui erroris in ipso Clero aloquoties inueniant, & eos in deuia mortis impellant, qui prædicatione eorum ad viam vitæ fuerant revocandi.* Ne igitur de tanto crimine participemus, sincerè proferendum est: quale sit ius Regij Patronatus circa officium supra memoratum.

(294) Text. in cap. Quamvis de Decim.

66 Dico ergò: quod, licèt per Sacros Canones prohibeantur Laici panem Sacerdotum manducare, & in negotijs Ecclesiasticis se ingerere; (295) tamen Ecclesia in suos Benefactores gratitudinem volens ostendere, (296) ipsis in Ecclesijs, & beneficijs concedit ius Patronatus. Hoc autem potest ipsis competere ratione fundationis, aut dotationis Ecclesiæ, (297) aut etiam reædificationis; (298) & restringitur ius Patroni ad solam præsentationem Rectoris, sivè Beneficiati; si enim aliud, puta: collationem, institutionem, electionem, provisionem, dominium, sivè possessionem, vellet sibi vendicare, hoc sub districtione canonica multipliciter prohibetur. (299) Hoc modo concessum legimus à Summis Pontificibus totale Iuspatronatus Ecclesiarum quarumcunque Provinciarum novi Orbis in remunerationem incredibilium penè expensarum, quas Catholicorum Monarcharum generosissima, pijssima, & verè Regalis liberalitas abundantissimè profudit in fundandis, fabricandis, erigendis, & dotandis Ecclesijs, Monasterijs, Xenodochijs, & alijs ad salutem vtriusque hominis incolarum; & de tali Patronatu perpetuo, firmo, & stabili non est ambigendum; vigore quoque ipsius Catholicus Rex, sivè Summo Pontifici, sivè Episcopis res-

(295) Text. in cap. Hanc consuetudinem 12. q. 1. cap. Sacrosancta, cap. Marsana de elect. cap. 17. de Decim.

(296) Cap. Decernimus 16. q. 7. Cabassut. Iur. Canon Theor. & prax. lib. 2. cap. 7. n. 3.

(297) Cap. Filijs, cap. Quicumq. 17. q. 7. cap. Abbates 18. q. 2. cap. Nobis fuit respons. 1. cap. Quoniam in princip. de iure Patr. Hostien. Sum. eo. tit. §. Ex quibus, n. 2.

(298) Auth. vt null. ædif. orat. §. 1. collat. 5.

(299) Cap. Præterea, cap. Quod autem, cap. Illud, cap. Cum laicis in fin. de iur. Patr.

respectivè præsentat instituendos in Cathedralibus, Dignitatibus, Officijs, & Beneficijs existentibus in illis partibus.

67 Verum in hoc advertendum est: quod Regius Patronatus restringitur ad Dignitates, Officia, & Beneficia, quæ fundata sunt in Indijs, sivè in Insulis, & continente Indiarum, vt sonant verba Bullæ Iulij II. quam dat *Allegans*, (300) & nos ponderavimus supra; & cum Iuspatronatus (vt correctorium iuris communis, & privilegiatum) extensionem non admittat ex notis iuribus; sequitur, quod ad officia, beneficia, & dignitates, quæ sunt extra illa loca, tale ius non extendatur; præsertim si in erectione, aut fundatione ipsius Catholicus Rex nullam expensam fecerit. Et ratio evidens est: cum enim, vt supra probauimus, Iuspatronatus concedatur ab Ecclesia in remunerationem expensarum in fundatione, & dotatione, si nullæ respectu alicuius officij, aut Beneficij factæ sunt expensæ, sequitur, quod ad ipsum Iuspatronatus minimè extendatur. Quantumvis verò officium, & Beneficium sit extra Indias situm, si spectet ad eas, Iuspatronatus potest quidem ad illud extendi ex ratione generali onerum, quæ supportat Rex in substentandis Ministris, per quos Ecclesia Catholica in illis partibus propagatur; sed si officium minimè ad hoc tendit, nec contemplatione istius sit institutum, liquet, quod Patronatus ipsius venire non potest ex titulo Apostolicæ concessionis generaliter largientis Iuspatronatus in Indijs; quia in ipso cessat causa motiva talis concessionis, & famosum Iuristarum axioma existit: quod cessante causa concessionis, seù priuilegij, cessat ipsa concessio, seù privilegium. (301)

68 Aliud pariter advertendum est: quod totum Ius Regij Patronatus consistit in sola præsentatione idoneorum ad regendas Ecclesias, obtinendas Dignitates, Beneficia, sivè Officia; hoc enim solum est, quod ex Canonum dispositione Patronis confertur; nulla enim iurisdictio, dominium, aut possessio potest cadere in Laico respectu Ecclesiarum, aut Clericorum in illis ministrantium, nisi ius præsentationis. Hinc

(300) Memorial, fol. 5. à tergo in marg. n. 31.

(301) Cap. Relinqui, & ibi Abb. in 3. notab. de Custod. Euchar. Afflict. in cap. 1. §. Moribus, n. 3. tit. si de feud. fuc. contr. int. dom. & agn. l. Idem Vulpianus, ff. de excus. tutor. l. Titia scio, §. Vsuras, & ibi Gloss. & Batt. ff. de legat. 2. l. Filius a Patre, §. 1. & ibi Imol. Alex. Aretin. & Iason, ff. de liber. & posth. I. B. Nicola Reg. iur. lib. 3. fol. 132. col. 2. & fol. 144. col. 2.

apparet, quod vltra limites veritatis, & iustitiæ processerunt Authores ducti zelo amplificandæ Regiæ authoritatis in Indijs; multum enim ab illis asseritur, quod sacris Ecclesiæ, firmisque legibus contrariatur. Et, quod mirabile est, nixi sunt super fundamentis assertis simpliciter ab eisdem Authoribus, nullo autem modo probatis. Horum primus est Rodericus, qui, licèt esset in Sacris Canonibus versatissimus, ex affectione tamen, & studio erga Catholicam Maiestatem, de eius potestate in Indijs excedentiora scripsit, quàm Canonica veritas permittat. Dicit enim: quod Catholicus Rex providere potest Ecclesiæ Indorum de Ministris duplici via. Prima est ratione *Patronatus,* quo gaudet in his partibus. Secunda est ratione *delegationis* sibi factæ per Bullam Alexandri VI. (302) Et infert: quod ex tali delegatione Apostolica est, quod si aliquis Ecclesiasticus scandalosè viuendo impedit conversionem Indorum, potest Rex eum avocare ab Indijs; & si superior Regularis mittit ibi visitatorem, hic debet prius se Regi præsentare; & si impetratur à Papa aliquod privilegium tangens gubernationem in spiritualibus, non potest illud practicari sine registratione in Regio Consilio; & quod Episcopi ordinationes Synodales non possunt publicare sine cognitione Regis, ne in aliquo perturbent conversionem Indorum. Rodericum sequutus est Miranda, qui, vt diximus, est simplex illius *transcriptor*, ordine tantummodo mutato, ne videretur apertè *amanuensis*. Iste non contentus dictis à Roderico, qui voluit Regem Catholicum esse Delegatum Papæ, progreditur ad asserendum: illum esse Legatum Apostolicum *cum plenaria potestate administrandi in Indijs, non solum temporalia, verum etiam spiritualia, vt fideles in Indijs existentes conservarentur, & augmentarentur; infideles verò converterentur.* (303) Hæc, verè miranda, scribit Miranda.

(302) Roderic. tom. 1. q. 35. art. 2. v. Et aduerte, &c.

(303) Mirand. tom. 1. q. 42. art. 6.

69 Sed quantum elongetur à veritate talis extensio, manifestè conuincunt multi Canones, (304) per quos apparet, quod Ius Patroni Laici respectu rerum Ecclesiasticarum restringitur ad nudam, & puram præsentationem, non verò ad collationem, institu-

(304) Cap. Fin. de institut. cap. Illud, cap. Ex insinuatione de Iure-patr. cap. Decernimus 16. q. 7. Host. Summ. lib. 3. Rub. de Iure-patr. §. Quid competat, n. 3.

tutionem, sivè electionem ad aliquod Ecclesiasticum officium, sivè Beneficium. Quod etiam manifestè colligitur ex eadem Bulla Iulij II. per quam Iuspatronatus Indiarum concessum fuit MonarchæCatholico; in illa enim (305) habetur: quod ad ipsum tanquam *Patronum* spectet nominare,& præsentare,sivè Summo Pontifici, sivè Episcopis eos,quos velit Rex ad Cathedrales, Collegiatas, seù Parrochiales Ecclesias, Dignitates,Officia, & Beneficia, tùm Regularia, tùm secularia, promoveri; quod agnoscens etiam Rodericus (306) fatetur actus illos iurisdictionales, quos supra memoravit posse fieri à Regibus circa res Ecclesiasticas in Indijs, non provenire à Iurepatronatus, *cum hoc valdè limitatum* sit, puta,ad simplicem præsentationem, sivè nominationem, & nil amplius. Nec pariter subsistit Catholicum Regem esse *Legatum Apostolicum* cum plenitudine potestatis etiam in spiritualibus, vt vult Miranda; nec Papæ *delegatum* secundum extensiones supra recitatas, vt scribit Rodericus. Etenim Legatus Apostolicus in Provincia sibi demandata, potest iuxta Canones (307) ab omnibus censuris absolvere; potest item Ecclesiasticorum excessus inquirere, & corrigere; causas definire, & audire, & delegare, quamvis per appellationem ad eos non deferantur; (308) potest Ecclesiastica Statuta condere, quæ etiam post eius mortem durent; (309) &,vt multa alia omittam, potest Beneficia conferre, & ipsorum resignationes admittere. (310) Patet autem quod Catholicus Rex in Indijs neque per se, neque per Proregem suum nulla Beneficia, aut officia confert, vt manifestum fit ex Bulla Iulij II. supra citata, in qua Regi conceditur tantum nominatio respectu supradictorum. Sequitur ergò manifesta consequentia: quod ipse non est Legatus Apostolicus, neque eius potestatem habet. Quod si dicas collationem Beneficiorum non esse de iure omnium Legatorum, sed tantùm Legatorum à Latere, Regem autem Catholicum esse Legatum natum. Primam partem responsionis admitto, atqui secundam nego. Etenim Legati nati sunt illi, qui Ecclesiasticam habent dignitatem, cui adnexum est

ius

(305) Bull Iul. II. apud Solorç. de Iur. Indiar. tom. 2. lib. 3. cap. 2. num. 10. Memor. fol. 5. à terg. num. 31.

(306) Roder. tom. 1. q. 35. art. 2. v. 3. quia,paul. ant. fin.

(307) Cap. Quod tranlationem, cap. Excommunicatis de offi. legat. cap. Ad eminentiam de sent. excomm. Caballut. Iur. Canon. Theor. lib. 1. cap. 15. n. 3.

(308) Cap. 1. de offi. legat. cap. Quanto de his, quæ fiunt à maior. part. capitul. cap. Qualiter, & quando, cap. Inquisitionis de accusat. Host. Rubr. de offi. legat. §. Quid pertinet in Summ. lib. 1.

(309) Text. in cap. Fin. de offic. leg. Hostien. loc. prox. citat.

(310) Cap. 1. de offic. legat. in 6. cap. Deliberatione, §. Prohibemus eo. tit. & lib. Abb. in cap. Fin. in 4. de Renunciat. Anchar. in cap. Dilecto, n. 2. de præben. Io. Andr. in cap. Deliberatione, n. 1. de offic. legat. in 6. Rebuff. in prax. tit. de resign. condit. n. 5. Paris. lib. 7. q. 13. n. 15. quos dat Caballut. Iur. Canon. Theor. lib. 1. cap. 15. n. 5.

(311) Arg. cap. 1 de offic. legat. cap. 1. de appellat.

ius Legati, vt ex Canonibus (311) probatur in Archiepiscopis Cantuariensi, & Eboracensi. Catholicus autem Monarcha, licèt Excellentissima Regia dignitate, & præstantia polleat, illa tamen Laica est, quæ non potest habere sibi adiunctum ius spirituale, cum hoc maius sit quocumque temporali; illud autem quod maius est, non potest esse consectaneum minoris; nec accessorium dignius esse principali. Concedo quidem nonnulla Ecclesiastica iura aliquando ab Apostolica Sede ex necessitatibus, & in casibus particularibus alicui Principi Laico concessa, vt deducitur ex multis Canonibus; (312) hæc autem, cum exorbitent à iure communi, non possunt trahi in consequentiam; neque de tali potestate, quæ est vltra ordinarias leges Ecclesiæ, est credendum simpliciter asserenti, sed oportet legitimam, & specificam concessionem ostendere. (313) Si ergo quæramus à Roderico, vbi nam ab Apostolica Sede (cui sòli privativè reservatur iura Ecclesiastica in Laicum conferre (314)) concessa sit talis iurisdictio Legati pro partibus Indiarum Catholico Regi; nullum aliud Diploma Apostolicum citabit, nisi illud Adriani VI. quod, ipso Roderico referente, (315) habet, quod Papa *concedens Regibus Hispaniarum* conversionem Indorum huius novi Orbis strictè præcipit eis, vt mittant viros timentes Deum, doctos, peritos, & expertos ad instituendos illos in fide Catholica; & ex hac sola clausula deducitur, quod Rex Catholicus sit Delegatus, imò Legatus Papæ; sed talis deductio est penitus impertinens. Quia sivè hoc sit privilegium, sivè sit delegatio non potest ampliari vltra ea, quæ in privilegio, sivè mandato continentur. Si enim privilegium est, & iuri communi adversans, & ius Episcoporum lædens, non potest admittere interpretationem, nisi strictam, vt diximus supra; & si est mandatum, non potest Delegatus eius fines egredi ex vulgatis iuribus. Tenor autem privilegij, seù mandati est: quod Catholici Reges debent, & possunt mittere viros idoneos ad conversionem Indorum; extendere autem istam concessionem ad alia, incongruum est; proindè fal-

(312) Cap. Menna 2. q. 5. cap. De liguribus 23. q. 5. dist. 32. §. Attamen, Gloss. in cap. Adrianus 63. dist. & in cap. Imperium 10. dist. cap. Illud 10. q. 3.

(313 Cap Cum in iure de offic. deleg. at. cap. Cum contingat de rescript. l. 1., C. de mand. Princ. cap. Final 97. dist. cap. Lectis 63. dist Host. Summ. de offi. legat. §. Quid pertinet, v. alij contra.

(314) Abb. in cap. Causam, col. 1. de rescript. & in cap. 10. n. 5. de Const. Innoc. in cap. Quod sicut de elect. Host. in Sum. de offic. legat. §. Quid pertinet, v. Laico Sacra. Butr. in cap. Nobis de Iurepatr. Ancharran. in Clement. per litteras de Præbend.

(315) Roderic. tom. 1. q. 35. art. 2. init.

ſæ ſunt propoſitiones, quæ ſequuntur; puta: quod Rex habeat iuriſdictionē providendi Eccleſijs de Miniſtris; quod, ſi Epiſcopi provideant, & deputent vnum in Eccleſia, Rex de ea providens alium expellit proviſum ab Epiſcopo; quod Rex habeat iuriſdictionem deputandi Sacerdotes, qui independenter ab Epiſcopis Sacramenta miniſtrent; quod habet plenitudinem poteſtatis in Indijs adminiſtrandi non ſolum temporalia, verum & ſpiritualia; & non ſolum, vt infideles convertantur, ſed etiam, vt fideles conſerventur, & augmententur. Omnia hæc enim ſapiunt veram iuriſdictionem Legati Apoſtolici; Rex verò non eſt ex tenore Bullæ inſtitutus Delegatus Papæ, niſi in deputando idoneos ad converſionem infidelium; ergo non ad conſervationem, & augumentum fidelium; ergo non ad proviſionem Miniſtrorum pro iam converſis; ergo non ad deputationem Sacerdotum pro miniſtrandis Sacramentis; quia omnia hæc ſpectant ad Epiſcopos, in quorum præiudicium non poteſt tale privilegium interpretari, vt fatetur Rodericus in eodem articulo, (316) non ſatis conſequenter loquens. Talia iura ſunt Eccleſiaſtica, quæ, ſi conceſſa fuiſſent, expreſſam, & ſpecialem, ac claram conceſsionem requiſiviſſent; non verò quod per ineptas conſequentias potuiſſent deduci. Et hoc invincibiliter confirmatur ex ipſo Roderico, (317) qui refert B. Pium V. ad inſtantiam Philippi Secundi conceſsiſſe Capitulis Provincialibus omnium Regularium degentium in Indijs, vt poſſent deputare Sacerdotes idoneos adminiſtranda omnia Sacramenta in proprijs eorum Eccleſijs, ſivè in illis Locis, ad quæ fuerint Regia authóritate deſtinati; & hoc etiam non requiſita licentia Ordinariorum. Ex hoc ergo ita arguo: ſi Catholicus Rex habebat plenitudinem poteſtatis, vt Legatus Papæ, etiam in ſpiritualibus, ad quid petere à Papa facultatem, vt Sacerdotes à ſe miſsi poſſent inconſultis Epiſcopis Sacramenta miniſtrare? Ergo agnovit prudentiſsimus Rex ſe vigore Bullæ citatæ non habere illam iuriſdictionem, & proindè petijt eam. Sed quid conceſsit illi B. Pius V. fortè, vt poſſet dare Rex facul-

(316) Roderic. tom. 1. q. 35. art. 2. v. Advertendum.

(317) Roderic. loc. cit. artic. 1. init.

cultatem talem Sacerdotibus à se missis? Minimè; sed illam concessit Capitulis Provincialibus Regularium. Ergò nullum maius ius Regi auctum est eo, quod prius habebat, & ad puram deputationem Ministrorum pro Indis convertendis restrictum erat. Pro iam conversis, sivè pro fidelibus ibi degentibus, sivè pro Ecclesijs non habet ius nisi præsentandi vt Patronus; non habet ius Ecclesiasticas causas cognoscendi, ligandi per censuras, aut solvendi, aut castigandi Ecclesiasticos, de iure Divino à se exemptos, neque faciendi alia, quæ sunt de iure Legati. Quomodò ergò ita firmiter asseritur Legatus Apostolicus, itavt in omnibus causis spiritualibus, aut formaliter, aut reductivè spectantibus ad Indias habeat plenitudinem potestatis? Rex Catholicus Delegatus à Papa in procuranda conversione Indorum per deputationem Ministrorum idoneorum revera est, & in hoc totum ius delegationis versatur. Quando loca concedit, aut Populos Missionarijs, vt verbum Dei prædicent, non tribuit illis iure Legati authoritatem Sacramenta ministrandi; hoc enim ius tribuit Papa Capitulis Provincialibus, vt vidimus; Rex verò assignando Populos, quibus verbumDei, cæteraque Sacramenta ministrentur, *assignat tantum materiam, in qua possit, qui à Papa habet potestatem, Sacramenta administrandi*, vt Rodericus ipse fatetur. Non ergo assignanda venit plenitudo potestatis iure Legati in spiritualibus etiam, vt cum Miranda dicit *Allegans*.

70 Hoc quidem nunquam menti fuit Catholicorum Regum, qui Austriaci sanguinis toti Orbi spectandam Religionem, ac pietatem cum lacte sugentes, non iura Ecclesiæ invadere, & sibi vendicare, sed Christo Populos; Evangelio gentes; Ecclesiæ filios auro, ferro, bellis, prædicationibus, suasionibus, exemplis procurare studuerunt. Regiæ ipsorum Coronæ iubar longius emicat ex studio, & observantia, quam erga Apostolicam Sedem præ omnibus Christianis Principibus omnibus sæculis ostenderunt, propter quæ gloriosissimo *Catholici* encomio sunt insigniti, quàm ipsi cedere possit ex iure de Ecclesiasticis Ministerijs

terijs

terijs aliqualiter disponendi. Gloria ipsorum est, quod iuxta Isaiæ vaticinium (318) conflauerint Gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces, vt vastissimas Indiarum Provincias Idolatriæ spinis obsitas in novale Ecclesiasticum per sementem Euangelij converterent, vberemque Christo fidelium messem redderent; & quod in proprio vbique terrarum Imperio extenso nolint pati sibi, qui non fuerint etiam Ecclesiæ Romanæ per Orthodoxam fidem subditi; non ex eo, quod aut possint, aut velint Ecclesiasticis Ministris iura dare. Non sunt in ea imperandi necessitate famelici, vt eis liceat cum David fugitivo panem Sacerdotum (hoc est Ecclesiasticum ius) comedere. Habent colla rebellium, quæ præmunt; habent Principes, quibus imperant; habent Populos immensos, quos regunt; habent Regna, habent Imperia, per quæ nullus in Orbe vniuerso Princeps illis valeat comparari, cum nullus in Orbe toto detur Monarcha, cui nunquam Sol occidat, vt nostris Catholicis Regibus larga Diuinæ Prouidentiæ munificentia est elargita. Vndè non est, quod ex angustia Regni, & imperandi libidine perciti, in familiam Christi, hoc est Ecclesiasticos, *ius non debitum*, velint sibi asserere, vt augeant, quibus imperent. Hæc fuere assentatorum hominum inventa, qui sperantes rebus suis prospicere per Regalem gratitudinem, scribendo surripuerunt Ecclesiæ iura, quæ Regi donarent. Sed non obligat donum ex furto, nisi donatarium ad restitutionem doni, & ad punitionem furis. Scripsisse alios autumo ex zelo Regij servitij, ad eius iura firmanda, & pacem in Regno altius confovendam, dum vniuersum ius regendi Populos, nempè spirituale, & temporale in solo Rege satagunt stabilire; sed isti nimis politici, sed parum Iurisperiti, non adverterunt, quod *pax Ecclesiæ, & Religionis vnitas*, vt dicitur in iure, (319) sunt fulcra Imperij, quibus stantibus non sibi metuit à ruina. Pax non reperitur, nisi vbi est iustitia, *iustitia enim, & pax osculatæ sunt.* (320) Porrò iustitia, quod suum est, vnicuiquè tribuit; nec sutor vltra crepidam; nec Clericus de Castris; nec de Ecclesiasticis rebus debent Laici

(318) Isai. cap. 2. v. 4.

(319) L. Inter claras, C. de Sum. Trinit. *Hoc, quod vestrum firmat Imperium; hoc, quod vestra Regna conservat. Nam pax Ecclesiæ, Religionis vnitas Regem auctorem facti in sublime provectum grata sibi tranquillitate custodit.*

(320) Psalm. 84. v. 11.

ci administrationem occupare. Hinc lites, hinc inquietudines; hinc animorum aversiones; & non aliundè proveniunt hæc incommoda, nisi ab ijs, qui sub pallio Regij servitij proprijs commodis inhiant, & multa falsa Regibus imponendo, ipsos etiam reluctantes impellunt ad prætensiones iure destitutas, in quibus ne deficiant, cum grauissimo animarum detrimento, coguntur per iniustam potentiam apprehensam iustitiam demonstrare. Ea tamen est animi Regalis Caroli II. integritas, vt veritate perspecta despiciat nugivendulos; & fascinum fucati mendacij per eos sibi intentati, constantia, & pietate verè Catholica, dissoluat, & quod Cæsaris Cæsari, & quod Dei Deo tribuatur.

71 Ex dictis hucvsque ergò liquido apparet, quam aereum, somniatum, ac falsum sit fundamentum *Allegantis*, qui vult Religionem non posse circa Commissarium Generalem Indiarum aliquid statuere; Generalem Ministrum nullum habere ius in Indijs; & scandalosas aliàs propositiones supra expensas, ex hoc, quod officium hoc est de Regio Patronatu. Etenim illud nequit esse ex generali concessione Iurispatronatus in Provincijs Indiarum; tum quia officium hoc est extra illas Provincias; tum quia in eius fundatione nullæ factæ sunt expensæ à Rege, quod debet esse titulus canonicus, ratione cuius concedi possit Iuspatronatus in officio, vt supra tactum fuit. Sequitur ergò: quod, si Rex patronatum habet talis officij, hoc est ex donatione sibi facta à Religione; quando quidem Iuspatronatus de re Ecclesiastica potest per donationem in Laicum conferri, vt habetur ex quodam Canone. (321) Ratione ergo Patronatus concessi non habet Catholicus Rex nisi puram præsentationem eius, quem promoueri desiderat ad tale officium, & nihil aliud. Sicut ergo non potest habens Iuspatronatus in Ecclesia ligare manus Capitulo, sivè Collegio illius, ne statuta condat, tangentia administrationem, sivè regimen illorum, qui ab ipso nominantur, dummodò in nihilo lædatur proprium *ius* nominandi; (hoc enim excedit ius, quod habet Patro-

(321) Cap. Ex insinuatione de Iure patr. Host. in Summ. Rubr. 6. Qualiter transferatur, n. 7. v. Donatio.

tronus) ita neque Rex Catholicus Patronus officij Commissarij Generalis poterit impedire Religionem, quominus statuat ea, quæ pro recta ipsius administratione nouerit expedire. Concedo quidem Patroni munus, & ius esse suscipere tutelam, & patrocinari Ecclesiæ, aut Beneficio à se instituto, ne de iure suo deperdat, (322) neue ab alio opprimatur; non tamen se debet ingerere, nisi lædatur illud ius, cum quo fuit fundatum; illius enim tantum patronatum habet. Cum igitur officium Commissarij Generalis fundatum sit cum hoc solo, quod ipse habeat Vices-Generalis Ministri, & plenitudinem potestatis in Indijs, iuxtà súpra probatas limitationes; non est vndè Rex Catholicus posit ratione patronatus Regiam authoritatem interponère pro acquirendis Commissario prædicto ijs iuribus, quæ in sua fundatione non habuit. Et tamen hoc solum, & semper inculcat *Allegans*, volens iura Regis in suis prætensionibus iniustis ratione patronatus involuere, quasi ex legitima causa sibi debeantur, & tantùm audet, quod asserat, quod nullus actus iurisdictionis relictus sit Ministro Generali in sui institutione, sed totum ius resideat in Regio patronatu. (323) Sed, si Canones attentè legisset, reperisset textum (324) apertè dicentem: quod *Plus iuris habet in concessione Prælatus, quam in præsentatione Patronus*; & ita maius esse ius Ministri Generalis in instituendo per suas patentes, quam Regis in nominando, aut præsentando per suum patronatum.

(322) Cap. filis 16. q. 7. Hostien. Summ. Rubr. de Iure patr. §. Quid competat, n. 3. v. Sequitur in vers.

(323) Memor. fol. 14. à tergo.

(324) Cap. Dilectus, iunct. Glos. in v. Plus iuris de offic. leg.

72 Demonstrato ergo per evidentissimas probationes, quod Iuspatronatus Catholici nostri Regis sistitur in sola nominatione Commissarij Generalis, facilè demonstrabitur esse vndequaque insubsistentem prætensionem Regij Senatus Indiarum proponendi Catholico Regi eos, ex quibus vnum Rex debeat nominare. Quandoquidem hoc dilemmate vrgeo *Allegantem*; Ius proponendi, quod asseritur competere Senatui, vel competit ipsi ratione Regij Patronatus, vel competit ex alio iure. Sed minimè competit ratione patronatus, quia hoc ius concessum est Regiæ Dignitati privativè quoad cæteros; lex enim Capitu-

li Toletani concedens tale ius, dicit: *Ex assensu, & beneplacito Catholici Regis*; vndè apparet, hoc Regiæ personæ esse collatum; in institutione verò alicuius in officio Ecclesiastico non intervenit ex parte Laici Patroni nisi nominatio, sivè potius præsentatio, vt loquuntur Canones, nec vllo modo intrat *propositio*, quæ circa hoc in iure Canonico est verbum inauditum. Sequitur ergò, quod ex ratione patronatus ipsi non debetur; sed neque alio iure; quia hoc vel est ex Bulla Apostolica, vel ab ordinatione Regis; vel per concessionem Religionis; vel ex præscripta consuetudine. Non primum: quia nulla fuit vnquam, nec demonstrabitur Apostolica Constitutio, quæ Consilio Indiarum concedat tale ius *proponendi*. Non secundum: quia vacante officio Commissarij Generalis, si Minister Generalis est absens à Curia, Rex ad eum scribit, petens, vt aliquos Religiosos idoneos Regio Consilio præsentet, ex quibus Rex vnum seligit; & de hac constanti consuetudine testatur Gubernatis. (325) Si ergo Rex statuisset *propositionem* sibi fieri à Consilio, non scriberet ad Generalem, vt ille proponat Consilio; hoc enim esset inutile; quandoquidem Consilium haberet ius proponendi sibi benevisos; at non ita est, quia illos tantùm potest proponere, quos ad monitum Regis Minister Generalis proponit tanquam idoneos Regio Consilio; nec ex natura negotij alitèr fieri potest, vt infrà demonstrabo. Et, si Solorzanus (326) scribit: quod tres à Supremo Senatu Regi præsententur, eos nempè, qui sibi à Ministro Generali fuerunt præsentati, verum dicit. Si autem intelligat, quod in arbitrio illius resideat ius præsentandi sibi beneuisos, falsum dicit: tum in iure, quia nullam iuris asistentiam habet Senatus in hoc; (vt probamus) tùm in facto, quia nunquam fuit aliter practicatum, eo, quod recitavimus ex Gubernatis; & hoc est aliud motiuum, propter quod ratificatur tanquam iustissima proscriptio libri Authoris illius, à Sancta Apostolica Sede meritò condemnati. Pariter nec tertium; non enim assignari potest aliqua Constitutio Religionis, per quam huiusmodi concessio facta fuerit; imò Religio hu-

(325) Gubernat.Orb.Seraph.tom. 1. cap. 17. n. 7. fol. 288. col. 2. *Semper observatum est, vt Rex ad Ministrum Generalem de officij vacantia scribens ab eodem peteret, vt aliquos ex suis ad tantum munus idoneos Regio Consilio Indiarum præsentaret, de quibus Rex ipse vnum sibi benè visum deligeret, ab ipso Generali instituendum.*

(326) Solorçan. de iur. Indiar. lib. 3. cap. 26. n. 41. provt citatur in memor. fol. 14. à terg. in marg. n. 62. *Cui quidem, vbi hoc munus vacare contigerit, tres Religiosi probatæ vitæ, ac morum solent á supremo Indiarum Senatu proponi, & ex ijs Rex vnum nominat, sivè elegit, cui demum, & non alij Minister Generalis Ordinis suas vices committat.*

huiuſmodi prætenſionem tanquam incongruam repulit, & ad eam reffellendam ſtrenuè laborauit; vt patet ex eo, quod accidit anno 1681. poſt mortem P. Ioannis de Luengo: nam prætendente Regio Senatu præſentationem, ipſi pro iuribus Religionis, ac officij ſui reſtitit Illuſtriſsimus Samaniego, tunc Miniſter Generalis, & licet de facto Conſilium primo loco propoſuiſſet ex ſuo arbitrio alium antè propoſitos à Generali, iuſtiſsimus Rex Carolus Secundus, agnoſcens plenum ius Generalis, & nullum Senatus, nominauit vnum ex propoſitis à Miniſtro Generali, vt recitat idem Gubernatis (327) teſtis de viſu. Quo facto deciſa remanet quæſtio, & ſublata vndequaque prætenſioni Conſilij aſsiſtentia rationis; nam, iuxta leges, illud, quod ſenſit Rex, pro firma lege haberi debet. (328) Dum ergo Catholicus noſter Rex viuens Carolus Secundus in facti contingentia ſenſerit, provt recitauimus, Regij ipſius animi motus pro inviolabili ſanctione recipiendus ab omnibus eſt; & perpetuò ſilere debet Regij Conſilij malè fundata prætenſio. Tandem, nec conſuetudo poteſt illi contuliſſe huiuſmodi ius: Quandoquidem plura exempla recitat Gubernatis, (329) ex quibus apparet Reges Philippum Secundum, & Tertium ſcripſiſſe ad Generales Miniſtros pro tempore, vt iſti proponerent idoneos, ex quibus poſſet Rex ad tale officium nominare. Quod ſi tempore Philippi Quarti pijſsimæ memoriæ ad ſolam præſentationem Regij Conſilij inſtitutus remanſit Fr. Ioſeph Maldonado; tamen conſuetudinem inducere legitimè non potuit; tùm quia eſt vnicus tantum actus, conſuetudo autem pluralitatem actuum, ad minùs duorum, requirit: (330) tùm quia fuit actus deſtitutus omninò ratione, vt infra probabo; vndè neque initiare potuit conſuetudinem, quæ ad hoc vt ſit valida, debet eſſe rationabilis: (331) tum quia per actus contrarios, intra tempus requiſitum ad præſcribendum, fuit actus ille revocatus; conſuetudo autem, vt præſcribat, requirit ſpatium quadraginta annorum, in quibus actus oppoſiti non intervenerint; (332) actus autem contrarij in inſtitutione cæterorum poſt illum ſem-

(327) Gubernat. Orb Seraph. tom. 1. cap. 17. n. 9. fol. 189. col. 1.

(328) Text. in l. ſi Imperialis, C. de leg. & Conſt. Princip.

(329) Gubernat. Orb Seraph. loc. prox. citat. n. 7. fol. 288. col. 2.

(330) Cap. Ita nos 25. q. 2. l. 3. in fin. C. de Epiſc. audie. l. Neratius, ff. de ſervit. corrupt. Authent. de defenſ. ciuit. §. Fin. collat. 3. Hoſt. Summ. Rubr. de conſuet. §. Quot actus, n. 4.

(331) Cap. 2. cap. Cum olim, cap. Cum dilectus de conſuet. cap Bonæ 2. §. Cæterum in fin. de Poſt Prælat. cap. Scriptum, cap. Cumana de elect. l. fin. C. de emancipat. l. 3. C. de ædific. priu.

(332) Cap. Cumana de elect. cap. Cum Eccleſia ſutrina de cauſ. poſſ. & propt. cap. Olim de cenſib. cap. Auditis de præſcript. cap. Illud eo. tit. l. ſicut in Rem. cap. de præſcript. 30. ann. l. 1. & l. vt profectius, C. de annal. except. Hoſtien. Summ. Rubr. de conſuet. §. obtentus quanti, v. Omnes Canoniſtæ.

ſemper practicati ſunt per ſex Commiſſarios Generales Indiarum; & licèt tentauerit Conſilium hoc immutare in morte Ioannis de Luengo, Rex eligendo vnum ex propoſitis à Miniſtro Generali, provt retulimus, decidit in favorem Religionis. Si ergo Regium Conſilium neque à Regio patronatu, neque à Papa, neque à Rege, neque à Religione, neque à conſuetudine præſcripta habet vllum ius in prætenſa *propoſitione*, ſequitur, quod eius prætenſio ſit totaliter à iure deſtituta.

73. Et, quod magis adhuc ſtringit argumentum, eſt; quod nec à Papa, nec à Rege, nec à Religione, neque à conſuetudine quavis præſcripta, tale ius poteſt vllo modo conferri. Lex enim ſivè communis, ſivè privata ad hoc vt iuſta, & valida ſit, oportet, quod ſit rationabilis; cum enim ratio ſit anima legis, (333) lex ſine ratione erit corpus ſine anima; proindè dicitur in iure, quod non aliud, aut diſponit, aut exigit lex, quam aut ſuadeat, aut dictet ratio: (334) Suadet porrò tùm ratio, tum lex, quod non committendum ſit officium, aut conferenda dignitas illi, qui capax non ſit illa, ſicut debet, adminiſtrandi. (335) Sequitur ergò: quod ſi aliqua lex talitèr incapaci officium conferret, illa contrariaretur rationi, & evaderet nulla. Hoc porrò quadrat in caſu noſtro; ſiquidem ille, qui debet Regi proponere viros idoneos ad benè gerendum Commiſſariatum Generalem Indiarum, oportet, quod noſcat illos non tantùm in doctrina, & moribus, ſed etiam an aliqua habeant impedimenta, quibus præpediantur. Hoc autem non poſſunt ſcire Regij Conſiliarij, quandoquidem notitiam non poſſunt habere niſi eorum, quæ extra vident, non eorum, quæ geruntur in Clauſtris; poſſunt frequentiſsimè decipi ab vno, cuius vox ſit vox Iacob, manus autem ſint manus Eſau, qui ſit ſepulchrum dealbatum, plenum oſsibus mortuorum, qui verſans inter ſæculares, videatur ſanctus, & tamen inter Religioſos viuat oneratus cenſuris, aut irregularitatibus; qui doctrina morali, aut politica loquatur, vt Solon, ſed in minori magiſtratu probatus ineptiſsimum ſe prodiderit in regimine. Et

(333) L. non omnium, ff. de legibus.

(334) L. illud quæſitum, ff. ad l. Aquil. l. à Titio, ff. de verb. obl. l. ſi poſtulauerit, §. 2. de Adult. l. Nauta, ff. nau. cau. Stab. I. B. Nicola reg. iur. tom. 2. lib. 16. fol. 230. col. 1. v. Eadem ratio.

(335) Arg. cap. Illiteratos 3. diſt. cap. Indecorum, cap. Cum ſit de ætat. qual. & ord. præfic.

vno verbo, nequeunt Laici intus, & in cute nosse Religiosum, vt debent, vt absque errore, & damno publici boni idoneos tanti muneri valeant Regi proponere. Sequitur ergo: quod neque à Papa, neque à Rege, neque à Religione concedi potuit hoc priuilegium, neque committi tale officium proponendi Regi promovibiles ad dictum officium Consilio Indiarum, cum hoc nullo pacto rectè, vt debet, posſit præstare. Et quæ absurda non possunt ex hoc sequi in præiudicium Regalis dignitatis? Constans enim, & trita doctrina canonica est, quod licèt Patronus habeat ius præsentandi ad officium, seù beneficium, Prælatus tamen, qui debet præsentatum instituere, & officium conferre, si idoneum ipsum non iudicat, habet non tantum ius, sed etiam grauem obligationem ipsum repellendi. (336) Detur ergo casus, quod Senatus Regius proponat aliquem, qui sit affectus in Religione pœna priuationis actuum legitimorum indispensabili per Generalem, aut alia legali irregularitate ignota inter laicos, & Rex istum nominet: Generalis in conscientia debet istum repellere; & sic Regiæ dignitati (licet rationabiliter) fiet iniuria, succensebit Generali Rex, & animi Regalis motum, si debebit placere Generalis, cogetur vel offendere Deum instituendo inhabilem, & indignum, cum nullitate electionis; vel offendere proximum, revelando eius turpitudinem, cum iactura Religionis. Præterea si Regio Consilio inesset ius prætensæ propositionis, innumera essent artificia, & media, quibus ambitionis æstio perciti procurarent Regios Senatores sibi propensos reddere, & eorum nota ad proprium commodum comparare; & ita procurando per fauores sæcularium dignitatem in Religione consequi, excommunicationis maioris censuram ex Apostolica Constitutione (337) incurrent. Sicque, vt habet textualiter quidam Canon: (338) *Quoniam non intrarent per ostium, sed aliundè conscenderent, per hoc indigni essent Pastoris nomine, vel prærogatiua gaudere.* Tertium insuper absurdum sequeretur; & est quod talis institutio evaderet ipso iure nulla, & institutus ad nominationem Regis, & propositionem Senatus, non

(336) Cap. Quod autem, cap. Nos igitur, cap. Cum dilectus, cap. Cum autem, cap. Pastoralis de Iurepatr. cap. Licet Canon de elect. in 6. cap. Graue nimis de præben. Trident. sess. 7. de reformat. cap. 3.

(337) Vrban. VIII. Const. Admonemur. Dat. 29. Iulij 1639.

(338) Cap. Relatum 21. de Iurepatr. *Nonnulli occasione Laicæ recognitionis, non requisita proprij Episcopi audientia, Beneficia Ecclesiastica sibi præsumunt vindicare.*

posset esse Prælatus ordinariam habens iurisdictionem, sed tantum delegatam; & sic *Allegans*, qui officium Commissarij Generalis asserit ordinarium, supremum in Indijs, (339) independens à quocumque, plenitudinem potestatis habens, & territorium diuisum cum Generali, dum vult propositionem fiendam à Senatu Regio, reddit illud Delegatum, temporaneum, limitatum, sine vlla authoritate, iurisdictione, & potestate, quam illa, quæ sibi delegabitur à Generali. Consequentia est manifesta. Quandoquidem fundamentum *Allegantis*, quo asserit officium memoratum esse ordinarium, & absolutum à potestate Generalis, est, quia ipsius institutio non pendet à placito Generalis, sed ab ordinatione legis statutariæ Capituli Toletani 1583. confirmata per Papam, ex cuius vi obligatus remanet Generalis ad illi committendas vices suas. Et hoc fundamentum centies repetit, & exagerat in suo memoriali. Hoc supposito explorati iuris tum Canonici, tum ciuilis est, quod forma à lege præscripta circa aliquem actum, maximè circa substantialia, ità servanda est, quod si non servetur, actus evadit nullus; (340) & hoc verificatur non tantùm si fiat *contra* formam, sed etiamsi fiat *citrà*, vel *præter* eam. (341) Porrò forma instituendi Commissarium Indiarum à statuto præscripta est, quod ipse instituatur à Ministro Generali *ex assensu, & beneplacito Regis Catholici*, itavt hic non intervenit vllo modo Regius Senatus, sed solus Rex, & Generalis, qui, intet veniente consuetudine à tempore legis statutariæ, cuius est optima interpres, (342) proponit Regi tres, ex quibus hic benè visum nominat. Quod si propositio non à Generali, sed à Senatu fieret, variaretur forma, & quidem in re essentiali, puta: in obiecto, sivè materiali institutionis; cum non possit Senatus, vt necessarium est, probè nosse qualitates præsentandorum, ex quibus ipsi sint obiectum idoneum institutionis; & possunt incapacem pro idoneo Regi proponere. Pariter cum Statutum tale ius non tribuat Senatui, ipse respectu talis institutionis comparatur vocem non habenti in electione, qui tamen vellet, vel cum Capitularibus eligere,

(339) Memorial, fol. 21. à tergo. *Iuez Supremo, como le llama su Santidad, y la Orden en todo lo perteneciente à los negocios de las Indias.*

(340) L. Hæredes, §. Idem, ff. famil. ercisc. cap. 1. de renunciat. cap. Veniens de rescript. cap. Quorumdem. 23. dist. cap. Diffinitiua 2. q. 6. cap. Solet 32. q. 2. cap. In Synodo de consecr. dist. 4. l. cum hi, §. si Prætor, ff. de transact. l. furiorum, C. Qui test. fac. poss. Felin. in cap. Quoniam frequenter, n. 4. col. 4. & 5. vt lit non contest. & in cap. Cum dilecta de rescript. Bocr. Farin. Azor. Suar. Castrog. Vazq. Ricc. Trullench. Boss. Batr. Ias. Riminal. Rub. Cost. Raggi. Gratian. cumulat. per Passerin. de elect. Canon. cap. 9. q. 3. n. 35.

(341) Gloss. in cap. Si cui, v. Præter de elect. in 6. Abb. in cap. Causam, n. 7. de sent. & re iudic. Dec. in cap. Prudentiam in 4. nota de off. Iud. Deleg. citat. per Rot. Roman. d. 350. n. 3. p. 5. rec. Passerin. loc. proxim. cit. n. 40.

(342) L. si de interpretatione, ff. de leg. cap. Cum dilectus, §. 1. de consuetud.

gere, vel, quod plus est, exclusis Capitularibus, ipse eligere, ex quo electio ipso iure nulla redderetur: (343) remaneret igitur, non servata forma præscripta à Statuto, & hoc non in aliquo accidentali, aut pertinente ad solemnitatem, sed substantiali concernente tum obiectum institutionis, tum eius causam efficientem, sivè dispositiuam; propositio enim, quæ Regi fit, est dispositio ad nominationem, & hæc ambæ ad institutionem. Concludendum igitur, quod actus institutionis evaderet nullus; & ita Commissarius talitèr institutus non evaderet ordinarius iurisdictionem habens à Statuto, sed esset purè Delegatus à Generali, quandoquidem ex omissione formæ vitiatus est actus ille, per quem solum potest sibi conferri ordinaria potestas. Et vlterior oriretur nullitas, si ex præpotentia Regij Senatus, vellet iste propositionem Regi facere, & Rex nominaret, & Generalis metu reverentiali adactus cogeretur nominatum instituere; talis enim electio evaderet ipso iure nulla iuxta Decretalem Conciliarem; (344) quandoquidem esset facta per abusum secularis potestatis. Vndè ille, qui tali modo se eligi, & institui pateretur, & multo magis si tali pacto eligi procuraret, nullo modo electus remaneret, nullam legitimam haberet potestatem, non esset vllo modo Prælatus, in conscientia teneretur officium resignare, & sine dispensatione etiam ineligibilis redderetur ad alias quascumque dignitates.

(343) Cap. Quia propter extra de elect.

(344) Conc. Later. sub Innocent. III. cap. 25. & in quarta compilat. cap. 10. de elect. text. in cap. Quisquis.

74 Nec in aliquo relevare potest prætensionem Senatus tenor litterarum, quæ primo datæ fuerunt per Ministros Generales de Capite Fontium, & Gonzaghæ, in quibus relictum fuit in potestate Regis nomen apponere illius, quem Rex destinare intendebat in Commissarium Generalem; per hoc enim non fuit collatum Regi Iuspatronatus, siquidem Minister Generalis solus, vtpotè, qui ex se non potest obligare successorem, neque legem perpetuam condere, non potuit dare Regi Iuspatronatus perpetuum, sed tantum durante suo officio constituere delegatum ad nominationem Regis, quia secundum Canones (345) non possunt Prælati in vlla re magnæ importantiæ, vt in

(345) Cap. 1. & 2. cap. Quanto, cap. Tua nuper, cap. Cum Apostolica de his, quæ fi. à Prælat. sin. cons. Capit.

in contractibus, distractibus, statutis, &c. procedere absque consensu Capituli; &, si aliquod tale faciunt, attentant, & factum redditur ipso iure nullum. (346) In re ergò tàm graui, in qua agebatur de erigendo in ordine nouo officio, & de transferenda in Regem nominatione officialis, nullo iure potuit Generalis solus validè agere. Sequitur proindè, quod illi Commissarij Indiarum tali pacto instituti non fuerunt Officiales Ordinis, ordinariam potestatem habentes, sed tantum delegatam à Generali, vt benè advertit Gubernatis, (347) & ideo nec votum habebant in Capitulo Generali, nec stricto iure poterant dici Prælati. Sed ex post ius Regij Patronatus fundatum fuit in Constitutione Capituli Generalis, quod Commissarium instituendum decreuit à Ministro Generali, cum illis limitationibus, quæ ibi exprimuntur, & subsecuta consuetudine amplius declarantur, & secundum illas concessum est Regi Iuspatronatus; non quidem absolutum, vt prætendit Senatus; sed vinculatum *propositioni* faciendæ à Ministro Generali, vt declarat consuetudo ab illo tempore inolita, quæ plenè declarat mentem Constitutionis.

(346) Cap. Nouit. iunct. Gloss. i v. Cancre, & ibi Abb. n. 8. de his, quæ fi. à Prælat. Goffred. Archid & Io. And. in cap. Fin. de elect. in 6.

(347) Gubernat. Orb. Seraph. tom. 1. lib. 3. cap. 17. n. 3. & 4. fol. 287. col. 1.

75 Et revera si, vt debet, benè, & legali trutina librentur verba Constitutionis, sole clarius apparebit contentum brevibus verbis id, quod à consuetudine circa talem institutionem fit amplius manifestum. Sunt ergò præcisa verba clausulæ Statutariæ: quod Commissarius Generalis Indiarum sit creandus ex *assensu, & beneplacito Regis Catholici.* Notum apud Iure Consultos est, quod dictio *ex* importat causam proximam immediatam, & intrinsecam: (348) & cum institutio prædicta facienda sit ex assensu, & beneplacito Regis, exprimitur: hoc tanquam quid *intrinsecum*, sivè essentiale ad valorem institutionis, tanquam *proximum immediatum*, & antecedens ad eam, requiri, itavt non valeat institutio, nisi præcedat eam assensus, & beneplacitum Regis. Porrò *assensus* in iure importat præviam consultationem, sivè propositionem ab alio factam, (349) & ideo præcipit Imperator Rectoribus Provinciarum, vt in relationibus criminum, quæ deferun-

(348) Arg. l. eo. tempore in fin. ff. de pecul. Alex. cons. 49. n. 3. v. Ponderanda est, lib. 3. & cons. 56. n. 3. lib. 5. & cons. 61. num. 6. lib. eo. Castr. cons 322. lib. 1. Ang. Aretin. cons. 20. n. 214. apud Card. Tusc. D. concl. 276. n. 3. & 4.

(349) L. super delictis, C. de relat. cap. Fin. §. Nos de pact. lib. 6.

runtur ad Principē, *prius edant consultationis exempla*, quæ postea vel repelluntur, vel Principis *probantur assensu*. Si ergo assensus prærequirit consultationem, sivè propositionem, Generalis, qui debet instituere *ex assensu* Regis, debet præmittere consultationem, sivè propositionem, cui Rex, si velit, det assensum, vel dissensum. Sicut enim in potestate Prælati est præsentatum à Patrono admittere, vel repellere, ita in potestate Regis est vnum ex propositis, sivè consultatis sibi à Generali nominare, vel omnes repellere; cum hac tamen differentia: quod Prælatus præsentatum non potest refutare, nisi ex iuxta causa; Rex verò potest ex solo suo placito propositos à Generali, vel admittere, vel non. Vndè Statutum non solum dicit: *ex assensu*, sed addit: *& beneplacito*. Et licet *beneplacitum* in iure importet arbitrium boni viri, quod ratione regulatur; (350) tamen hoc intelligitur, quando aliquod pendet à beneplacito illius, qui insimul consultare debet, & quod magis expedit inquirere, & postea ex beneplacito decernere; at in nostro casu consultatio supponitur diligenter præmissa à Generali, qui non proponit nisi idoneos, vndè beneplacitum Regis non potest importare nisi actum liberi animi Regij gratificantis vnum ex propositis præ cæteris, qui actus exprimitur per nominationem. Ecce ergo vera forma iustitutionis Commissarij Generalis à Statuto præscripta, & à consuetudine confirmata. Debet Generalis instituere; sed necessario debet præcedere *assensus*, & *beneplacitum* Regis; assensus prærequirit consultationem; ergò Generalis debet consultationem præmittere; tum Rex assentire; indè beneplacitum aperire per nominationem; & tandem consumari institutionem per concessionem litterarum patentium. Sequitur ergò: quod non ad Senatum, sed ad Generalem pertinet consultatio, seù propositio; assensus enim Regius non datur nisi ei, qui post assensum debet instituere, hoc est Generali; nec dari potest nisi ei, qui consulit. Vndè convincitur: quod ad eumdem Generalem spectat consulere, seù proponere. Tandemque silentium huic controversiæ imposuit, provt tetigimus supra num. 72. Catho-

(350) Abb. in cap. Cum venissent de instit. Alberic. dict., litt. P. v. Placere posse, & ibi Add. l. Thaij, §. Sorore, ff. de fidei comm. cap. Quod ad nos 47. dist.

licus noster Monarcha Carolus Secundus, dum, nullum ius agnoscens inesse suo Consilio faciendi sibi prætensam propositionem, relicto primo, quem de facto Senatus proposuerat, elegit P. Michaelem de Auengozar, vnum ex tribus, quos legitimo iure sibi proposuerat Generalis Samaniego. Vnde, cum sensus Regis habendus sit pro lege, concluditur: quod pro perpetuis futuris temporibus tali controversiæ suprema manus ex hoc facto Regis fuerit imposita; nec posse, absque tanti Regis iniuria, vlterius in discrimen vocari.

§. X.

SVMMARIVM.

76. *Ostenditur temporalitas officij Commissarij Indiarum.*

76 Obiter hic adverto ex tenore citatæ clausulæ Statui, quam modo examinauimus, quam falsum sit, quod iactat, & frequenter repetit *Allegans*; (351) quod nempè Commissarius Generalis in suo officio sit perpetuus, & proindè nunquam egere nouis patentibus confirmatiuis. Etenim aliud est, quod officium sit perpetuum, & aliud, quod sit officialis perpetuus; concedimus quidem officium Commissariatus perpetuum esse ex eo, quod ex lege Statutaria, accedente Pontificis approbatione, est institutum; negamus autem esse perpetuum de iure officialem illius, ita vt ex natura rei, ipse perpetuò continuare debeat in suo officio. Etenim, vt habetur ex recitata clausula, instituendus est Commissarius ex *beneplacito Regis*. Observandum est autem, quod institutio facta alicuius in officio *ad beneplacitum* alterius, nullo modo est perpetua, sed temporalis, eo quia, licèt placitum istius, ipso viuente, perseverat, tamen in eius morte terminatur, vt est communis sententia Iuristarum. (352) Sequitur ergo quod ex natura officij, Commissarius Indiarum non est perpetuus, quia pendet à *beneplacito* Regis, qui ex motiuo sibi beneuiso potest monere Generalem, vt alios proponat, vt alium sibi melius placitum Rex eligat;

(351) *Y mas atendiendo le toca, y pertenece el conocimiento vniuersal de todas las causas de Indias, debaxo del nombre de su oficio de Comissario General*, perpetuò duraturi creati ad hunc effectum ex necessitate, &c. Memor. fol. 15. à tergo.

(352) Cap. Si gratiosè 5. de rescrip. in 6. l. 4. ff. locat. Batt. in l. Centesimis, §. 1. n. 9. ff. de verb. obl. vbi Iat. n. 12. Felin. in cap. Ex litteris, n. 9. v. Secundus casus de Constitut. Bald. 407. num. 3. lib. 2. Gomez Delict. cap. 8. n. 5. Foller. prax. crim. Canon. fol. 282. Iul. Clar. §. Fin. q 71. in fin. Gozad. cons. 22. n. 10 & seqq. Crauet. cons. 63?. n. 2 & seqq. Angel. cons. 217. n. 9. Corn cons 235 lib. 2. Ruin. cons 194 n 9. lib. 5. apud Tusc. B concl. 89. à n. 1. ad 12.

gat; nec requiritur, quod motiuum sit iudicialiter cognitum, nec quod oriatur ex defectu, aut causa turpi ipsius Commissarij Generalis, sed potest esse ratione maioris boni, sivè ipsius, sivè Provinciarum sibi commissarum; pendet quippè à beneplacito Regis, quod magis regulatur à prudentia, & æquitate, quam à scrupuloso rigore iustitiæ. Per accidens ergo fuit, quod Commissarij Generalis Indiarum perseueraverint in officio vsque ad mortem; hoc enim non fuit, quia hoc sit necessario requisitum à Statuto; Statutum enim de eius duratione nec verbum facit, (quod tamen de omnibus alijs officijs Ordinis non est, cum ipsis tempus durationis præscribatur) quia continuationem eius beneplacito Regis commisit. Continuarunt ergo in officio, quia placitum Regis eos perseverare permisit. Nec dicendum: quod beneplacitum Regis terminetur in institutione, qua consumata, perpetuo in officio, ipso iure, maneat institutus. Quia quodnam ius reperitur tribuens prætensam perpetuitatem huiusmodi Officiali? Non commune; de tali enim officio in eo non tractatur; non Statutarium; quia nulla habetur mentio de duratione, sed remittitur beneplacito Regis; non ab exemplo aliorum officiorum Ordinis; quia hæc concludunt contrarium; cum enim omnia de primo ad vltimum sint temporalia, tale debet esse etiam hoc, quod est vnum de officijs Ordinis; non à consuetudine, quia hæc non concludit per necesse, & de iure, sed de facto, & per accidens, sicut dixi. Cum ergo in nulla lege fundatum reperiatur ius prætensæ perpetuitatis, sequitur, quod non erit ex se perpetuum officium, sed perpetuum per accidens, ex beneplacito Regis. Nec facit in contrarium regula iuris: (353) *Decet concessum à Principe beneficium esse mansurum*, quia, vt benè expendit glossa, loquitur regula de beneficio reali, non autem personali, vt est in casu nostro; insuper regula dicit, *decet*, non, *debet*: concedens enim Princeps priuilegium non obligatur ex iustitia, sed ex æquitate ipsum continuare; vndè etiam suadente causa rationabili, & motiuo æquiori potest priuilegium revocare; & tandem concessum à persona, & non à dignitate

(353) Cap. Decet, iunct. gloss. 1. & fin. de reg. iur. in 6.

Prin-

Principis, mortuo Principe expirat, vt textualiter decidit Bonifacius Octauus. (354) Sequitur hinc, quod cum Commissarius instituatur *ex assensu, & beneplacito*, qui sunt actus personales Regis, extincta persona Regis extinguitur eius beneplacitum; & ex consequenti cessat etiam officium Commissarij Generalis. Vndè tali casu debet Minister Generalis nouum beneplacitum exquirere à nouo Rege, & nouam illi propositionem facere, & de nouo instituere Commissarium. Nec facit contra hæc decisio textus cuiusdam Capituli, (355) in quo habetur, quod ad mutationem patroni non cessat ille, qui ad eius nominationem est institutus; & ita non debeat vacare in morte Regis ille, qui ad nominationem eius institutus est Commissarius Indiarum; etenim ille textus loquitur de instituto in aliquo Beneficio, vt communiter exponunt Canonistæ: Commissariatus autem non est beneficium, sed officium; tum quia omne beneficium Ecclesiasticum de sui natura est perpetuum; (356) Commissariatus Indiarum verè tale non est, quia est officium Ordinis nostri, in quo officia, & Prælaturæ, quæ ex vi Regulæ poterant esse perpetua, ex dispositione Constitutionis Leonis X. (357) facta sunt temporalia, & assignatæ fuerunt periodi suæ durationis; & si huic officio per Statuta Ordinis non reperitur præfixa limitatio durationis, ideo est, quia fuit permissa beneplacito Regis; ex quo factum est officium perpetuum per accidens. Tum quia beneficium importat in sui quidditate ius percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ; (358) Commissariatus autem prædictus nullum ius lucratiuum habet, hoc enim repugnat professioni Regulari, sed de iure non habet, nisi purum onus, licèt non sine honore, vt sunt cæteræ Prælaturæ in Religione nostra. Tum quia in institutione Beneficiati ad nominationem Patroni, vt ponderat Gloss. (359) maius est ius Ecclesiæ cuius nomine Episcopus instituit, quæ vult Beneficia sua esse perpetua, quàm Patroni; in casu verò nostro licèt maius sit ius Religionis, cuius nomine Generalis Minister instituit Commissarium, tamen hæc non tolerat officia, quæ dispensat, esse perpetua, & maximè hoc,

(354) Cap. Si gratiosè de rescr. in 6.

(355) Text. in cap. Quærimoniam de Iurepatr.

(356) Arg. cap. Sanctorum 70. dist. cap. Penult. de Cler. egrot. cap. Si gratiosè de rescript. lib. 6. Abb. cons. 47. v. Tertium consideratur, n. 1. p. 2. Gig. de pens. q. 99. in fin. Franc. marc. d. 1120. n. 22. Card. Tusc. concl 55. per tot. litt. B.

(357) Const. Ite, & vos.

(358) Host. Summ. Rubr. de præben. in princ. Gabassut. Iur. Canon. Theor. lib. 2. cap. 1. num. 1.

(359) Gloss. in cap. Quærimoniam in v. Mutationes de Iurep. & citat. cap. Sic quidam 10. q. 1. & cap. Noverit ea. cau. & quæst.

hoc, quod permisit beneplacito temporali Regis: Tum, quia Beneficiatus institutus in Beneficio ad præsentationem Patroni habet ius, & proprietatem in fructibus illius, quibus spoliari, nisi ex legitima causa, & non ad placitum novi Patroni, incongruum est; proindè ordinat illud Capitulum, quod licet mutetur Patronus Beneficij, tamen institutus persevéret in possessione illius. Commissarius verò Indiarum nec habet, nec habere potest neque ius, neque proprietatem in fructibus sui officij, non solum quia nulli sunt, sed etiam, quia nec ius, nec proprietas potest ex vi professionis compati in Fratre minore. Et ideò concludendum est: hoc officium de sui natura esse temporale, & durare solum ad placitum Regis, Rege, qui nominavit, revocante beneplacitum, cessat ipso facto officialis, & cadit à iurisdictione; & in decessu Regis terminatur eius duratió; & ipse indiget novo beneplacito, institutione, & patentibus.

ARTICVLVS TERTIVS.

In quo examinatur méthodus *Allegantis* in procedendo.

§. Vnicus.

SVMMARIVM.

77. *Demonstrantur iniuriæ, quas* Allegans *infert:*
Primo Ecclesiæ.
Secundò Regi Catholico.
Tertiò Religioni.
Quartò Generali.

78. *Recensentur pœnæ, quas incurrit ob tale attentatum.*

77 Absóluta responsione ad substantiam eorum, quæ dicit *Allegans*, libet percurrere breviter methodum ipsius, vt pateat quanta iniuria percellat Ecclesiam, Regem, Religionem, & Ministrum Generalem; & quot mala communi, singulorúmque bonò procuret. Primò iniuriatur Ecclesia; cùm enim Ecclesiasticæ causæ non nisi in Ecclesiastico foro *priuatiuè* quoad cæteros

sint tractandæ, vt sonant Canones: (360) *Allegans cau*sam hanc, quæ merè Ecclesiastica est, agitare intendens coram Tribunali Laico iniuriosus Ecclesiæ redditur, cuius iura temerat, & iudicium contemnit, ac si de Iustitia diffidat. Catholico Regi infinitas obijciendo imposturas, eius violat Maiestatem. Si enim, vt ipsemet (361) fatetur; illa læditur ex reticentia veritatis, profectò magis in eam committitur ex tot mendacijs replicatis, quot in toto contextu huius responsionis passim deteximus. Et mirum est quantus; & qualis sit in his, & circa hæc. Captiosa sagacitate fingit nihil pro se, omnia pro Rege agere; non sibi noua iura parare, sed antiqua illius tutari; & non nisi vt Catholicus Monarcha nomine suo ipsius malæ causæ det titulum coloratum; & ex abusu Regiæ potestatis eius prætensio, omni Iustitiæ destituta præsidio, reddatur potior. Passim inculcat Iura Regalia, quo vocabulo pene omnes inspersit paginas; nescio quo genio, aut ingenio. Studuit forte Catholico Monarchæ suadere, si non rem, (hoc enim impossibile Austriacæ erga Ecclesiam pietati) saltem nomen, ob quod ab vniuerso Orbe Catholico malè audit malè consulta Gallia. Nititur, vt conquestus est Propheta: (362) *In malitia sua lætificare Regem; & mendacijs suis Principes*, eis imponendo in rebus Ecclesiasticis iura. Sed profectò pessimè suadet, qui vult Catholicum Regem cum Rege Ozia (363) ingredi sanctuarium, & violare iura Sacerdotum. Religionis vnitatem proscindere attentat dum Territorium Indiarum in funiculo distributionis à Ministro Generali vult diuisum. Eius compeditam contendit reddere libertatem, dum somniatur pacta, quibus laqueus illi inijciatur, illiusque se nititur eximi à potestate, cui (nisi cum reatu perduellionis) nequit non esse subiectus. Ministro Generali se vocali obedientia profitetur deuinctum, sed reali conatu legitimam eius potestatem inuadit, vt non sit ei subditus, cui reddi conatur æqualis; iactatque in Indijs illum non pollere titulo Generalis. (364) Et adulterato sacrosanctæ paginæ Textu (365) vt [illegible] sugillat, quia contra inuasorem præsidium esse causam Religionis propugnat [illegible]. Quanta in vno facinore sunt crimina! (366)

Iustum

(360) Cap. Nullus, cap. Si diligenti de for. compet. cap. Quoniam de immunit. Eccles. in 6. Host. Rubric. de for. compet. §. Liquet, n. 13.

(361) *V. Magestad, à cuya soberania se haze agrauio en ocultarle la verdad.* Memor. fol. 29.

(362) Osee, cap. 7. v. 3.

(363) Paralip. 2. cap. 26. v. 18.

(364) Memor. fol. 37. à terg.

(365) Memor. fol. 3. à terg. in marg.

(366) D. Ambros. lib. 3. de virgin. paul. post. init.

78 Iuſtum ergò omninò eſt, vt qui tam multiplicitèr deordinatur per culpam, multiformiter reordinetur per pœnam. (367) Non opus tamen indagine forenſi, vbi ex facto ita notorius reatus emergit; maximè ſententia Iudicis præuenta per legem. Vniuerſalis Eccleſiæ Ius à fidelium communione reſectum *Allegantem* proclamat, ab alio, quam à Romano Pontifice non admittendum, quia cauſam purè Eccleſiaſticam ad ſeculare Tribunal Laicorum deduxit. (368) Religio, cuius diuiſionem manifeſtè procurat, dum Indiarum Prouincias tanquam Territorium ſeparatum à Miniſtro Generali prætendit firmare, nouam contra eundem excommunicationis ſententiam, Miniſtro Generali reſervatam, & carceres formales fulminat. (369) Generalis Miniſter, qui illum perduellem, & contumelioſum non occaſionaliter, ſed ex inſtituto experitur, tanquam ſeraphicarum legum aſſertor, vindex, & exequutor, pænalibus ipſarum diſtrictionibus per carceres, & ſuffragiorum priuationem eius audaciam ad propriam reſipiſcentiam, & aliorum exemplum, coercere iubetur. (370) Catholicus tandem noſter Monarcha, cuius offenſæ Maieſtatis ſe reum prodidit tot impoſturas, & fraudulentas calumnias contra Religionem illi repræſentando, Regali beneuolentia, placito, & Aula, iuſtum eſt, vt ipſi interdicat; ſicque extorris à gratia eorum omnium, quos iniurijs laceſsiuit, deijciatur à culmine Dignitatis, in qua ſuperbiuit, & qui ad exemplum Luciferi peccauit, pœna correſpondenti damnetur.

(367) *Pœna eſt reordinatiua culpæ*, Scot. in 2. diſt. 37. q. vnic. aliàs 2. §. Ad quæſt. 3. CC. 22.

(368) Bull. Cœn. excommunicat 14.

(369) Stat. Gen. Ord. cap. 7. § 6. num. 55.

(370) Stat. Gen. Ord. cap. 1. §. Vnic. n. 4.

Potentiſ. V. Maieſtati Seraphica Religio vtramque felicitatem ſuplex exorat.

